



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Synodus Mindensis, ejusdem Episcopi Francisci Gvilielmi, celebrata XV  
Octobris MDCXXXII. Cui praemissa Series Episcoporum Mindensium, &  
subjunctus Catalogus Cleri Dioecesis ejusdem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

S Y N O D V S  
D I O E C E S A N A  
E C C L E S I Æ M I N D E N S I S,

P R Æ S I D E N T E

Illustrissimo ac Reverendissimo Principe  
ac Domino,

D. F R A N C I S C O  
G V I L I E L M O,

E P I S C O P O M I N D E N S I,  
O S N A B R V G E N S I, E T V E R D E N S I,  
C O M I T E D E W A R T E N B E R G,  
E T D O M I N O I N W A L D;

Celebrata Anno M D C XXXII,  
die xv Octobris.

Quod



Qvod de moribus bellicis Imperii Romani supra, circa Ecclesiam Verdensem, diximus, hoc idem experta est Ecclesia Mindensis. Circa Annum Domini M D XCVI, die V Maji, Antonius, Comes de Schawmburgh, Episcopus Catholicus, Coadjutorem sibi assumpsit. Proponebatur tunc Christianus Dux Brunswicensis, juvenis magnæ spei ac virtutis; sed, cum Lutheri opinionibus imbutus esset, Ernestus Bavarix Dux, Elector Colonienfis ac Metropolitanus, multum laboravit, ut prædictum Christianum Ducem, à Catholica religione non adeo alienum, ad gremium sanctæ Romanæ Ecclesiæ reduceret. Eò res devenit, ut Christianus, Catholicam fidem se suscepturum, sponderet, etiam Romano Pontifici Clementi VIII desuper scriberet, seque filium futurum promitteret: & cum pia, uti vera, mater Ecclesia, nullam ad se venire volentem repellat, nec viscera charitatis ulli claudat; hinc præfato Electori Colonienfi commisit, ut negotium bene examinaret, matureque provideret, ut dictus Christianus, intra certum tempus, & quidem, datâ vacantia Ecclesiæ Mindensis, intra sex menses, professionem fidei emitteret, nec prius ulli administrationi se immisceret, imò pro nullo Coadjutore, minus Episcopo, haberetur. Præstitit Ernestus, pro suo zelo ac debito, omnem ad id operam; & Christianus capitulationes iniit, quibus, sub principali dignitate & honore, sub verbo Principis, firmiter observare promisit, præter plura alia, sequentia. 1. Obligavit se, quod, cedente vel decedente Episcopo Antonio, velit quamprimum suis expensis confirmationem ac Regalia, tum à Papa, tum à Cæsare, impetrare. 2. Se juxta sacros Canones qualificare, ut, tanquam Princeps Ecclesiasticus sacri Romani Imperii, sessionem ac votum habere possit. 3. Vivente Antonio, vel decedente, nulli administrationi vel regimini Episcopatus, vel redditibus, sine consensu Capituli, nullo modo se immiscere, sed omnem administrationem, mortuo Antonio Episcopo, in manibus ac potestate Capituli tamdiu, quousque confirmatio & Regalia præfata impetrata fuerint, integrè, sine ulla sua vel suorum contradictione, relinquere. 4. Confirmatione & Regalibus obtentis, & ut dictum est, qualificatione personæ subsæcuta, ad Capituli citationem, suum ingressum solemnem facere. Pro majori etiam securitate fratrem suum Ducem Ernestum permovit, ut hæc secum sigillaret, & fidejussorem ageret: constituit præterea decem alios Nobiles, qui similiter pro se suisque hæredibus indivisim, & quilibet in so-

lidum, hæc observanda promiserunt, sub pœnis & juramento. Actum anno M D XCVII, sexta Septembris. Mortuo postmodum Antonio Episcopo, Christianus, à malis inductus, incipit titubare, nec conventis totque promissis stare: unde Capitulum omnem gubernationem, uti sede vacante, in se recipit, & terminum sex mensium expectat. Sed, cum nec monitiones nec conventa locum invenire vellent, cogitat Capitulum ulterius expectare, vel ut Christianus qualificationem debitam ac promissam obtineret, vel ut interim diutius gubernio gauderet: sed, ut utrique parti satisfaceret, inita est inter ipsos nova transactio, prout patet ex Reveralibus dicti Christiani Ducis, Capitulo datis, sub sextâ Martii Anno M D XCVI; ubi sequentia habentur.

Cum nuper ex morte Domini Antonii Episcopi, successio dicti Episcopatus ad Christianum Ducem, vigore anteaactæ electionis in Coadjutorem, devoluta sit, & dictus Dux sciat, quod, tam de jure, quam ex pactis capitulationibus, administrationem ante Papalem confirmationem, sicut & regalia à Cæsare assecutionem, acceptare non possit; dicta vero confirmatio & Regalia tam cito, ut ipse optaret, obtineri haud possent, (in quo tamen nullam prætermittit diligentiam,) & ex periculosis temporibus, quibus omnes status Circuli Westphalici bellicis armis involuti essent, Episcopatu Mindensi pericula damnaque accidere possent; quod malum tam Christianus, quam Capitulum amoliri obligarentur: hinc ipse Christianus Dux apud Capitulum, citra tamen præjudicium tam Papæ quam Cæsaris, statutorum etiam Ecclesiæ Mindensis, ipsiusque consuetudinum, ex bono affectu institit, & obtinuit, quod Nomine Capituli regimen & administrationem, usque ad confirmationem & Regalia sepefata impetrata, exercere, ac redditibus mensæ Episcopalis frui valeret: obligavit tamen se vicissim ac denuo, in verbo & sub honore ac fide Principis; 1. quod præstitum juramentum ac sigillatas capitulationes, de quibus supra, per omnia sine omni exceptione servabit. 2. Faciet, quod per hoc Capitulum nec subditi ullo modo gravari debeant. 3. Faciet, per speciales legatos, apud suam Sanctitatem, Dominum Papam, confirmationem accelerari & obtineri. 4. Ad dignitatem Episcopalem se ita qualificabit, ut & sibi & Capitulo, apud supremam potestatem, & coram toto mundo, non possit exprobari. 5. Quod si contingeret, Capitulum & Ecclesiam Mindensem, ratione taliter concessæ administrationis, à sua Sanctitate, vel Cæsarea Majestate, suo Metropolitanò, aut alio, quocunque modo, mandatis, processibus, inhibitionibus, citationibus, fulminationibus, privationibus, suspensionibus vel aliâ quavis viâ gravari, id omne suis impensis Dux Christianus avertere deberet

deberet ac vellet. 6. Cancellarius, & omnes prorsus ministri, Capitulo juramento obstricti erunt. 7. Quod si verò Dux Christianus aliter, (quod Deus avertat,) quam hic expressum est, faceret, & à Capitulo monitus, non corrigeret, tunc, ad petitionem Capituli, sine ulla exceptione aut oppositione, taliter sibi concessam administrationem Episcopatus, cum omnibus residentibus ac redditibus, nullo excepto, ad manus Capituli, sine ulla intercessione aliorum vel conditione, simpliciter ac purè, restituet, nec ulterius se immiscebit, vel per alios ullo modo immisceri faciet.

Firmatæ sunt hæc Reverales in Petershagen, Residentia Episcopali, sub manu sigilloque Principis Christiani, Anno & die, quibus supra. Placuit Capitulo, se talem Ministrum natum; sed mala, quæ inde provenirent, non prævidit. Mansit itaque Christianus in tali statu, plane non suo, usque ad anni M D C XXXII diem VI Martii. Pontifex Cæsarsque, juxta Edictum, Concordata Germaniæ, Constitutiones Imperii, Canonicaque Iura, negotium hoc nullo modo amplius subsistere debere, judicarunt. Ius itaque constituendi Episcopum, pro hac vice, juxta prædicta Concordata Germaniæ & specialiter acta, circa hanc Ecclesiam, ad Sedem Apostolicam devolutum, (cum per tot annos nec Christianus Dux se qualificaverit, nec à Capitulo alius qualificatus electus, vel Sedi Apostolicæ præsentatus fuerit,) ab omnibus merito existimatum fuit. Papa igitur, ad Cæsaris recommendationem, Illustrissimo Domino Episcopo Osnabrugensi eundem contulit Episcopatum, ex jure devoluto pro hac vice, salvis de reliquo privilegiis Capituli; prout patet ex Bulla Urbani VIII de duodecima Januarii, M D C XXX. Cum autem rumor percrebesceret de hac collatione vel facta vel faciendâ, quidam ex Capitularibus Christianum Ducem Capitulumque monuit, permovitque, ut se in Coadjutorem dicti Christiani nominarent seu eligerent. Ut hoc obrinuit, statim possessionem ubique in omnibus locis præcipuis arripuit, uti Coadjutor, ac successor suo tempore, dicti Christiani. Præcavit tamen specialiter in hac prætenso Coadjutoris electione Capitulum, quod non intenderet præjudicare Sedi Apostolicæ, nec contentis Edicti; submitendo se etiam, cum dicto prætenso Coadjutore, definitioni ac iudicio Superiorum. Interim Illustrissimus Osnabrugensis acceptas Bullas Capitulo per Delegatos debite intimari ac partitionem exigi fecit: monuit etiam ipsum Ducem Christianum, explicando statum, offerendo se amicè, quod, cum hæctenus fuisset minister Capituli, Sua Celsit. contenta foret, ut, quoad redditus temporales, ulterius iis gaudere posset; se præcipue Ecclesiastica & administrationem Principatus, vigore juris sibi quesiti & edicti Cæsaris,

rei, querere. Quæ non adeò displicuere Principi, omnia tamen, uti & præterita & futura, in Capitulum rejicièti. Hoc vero, rem non esse integram, asserens, parere Bullis detrectabat. Novus ille Coadjutor, Romæ intento processu, cum se causâ casurum cognosceret, rem ad Aulam Cæsaream detulit, utrumque tribunal ita fatigavit, ut tandem anno M D C XXXII sententia utrobique contra ipsum lata, & executoriales in Capitulum cum fulminibus, censuris ac pœnis expeditæ in inobedientes fuerint, & Cæsaris Decretum, de recipiendo Illustrissimo, cum mandato pœnali emanarit. Ratio fuit, cum Christianus conditionate electus, non confirmatus, nec conditiones impletæ, minus ipse possessor, sed alieno nomine substitutus esset, alium Coadjutorem assumere, minus Capitulum ipsi successorem post tot annos, & quidem sine Sedis Apostolicæ approbatione prævia, ac post jus tamdiu ad Sedem Apostolicam devolutum, eligere non potuerit. Hac sententia firmatus Illustrissimus Osnabrugensis, Anno M D C XXXII, die XIX mensis Julii, Osnaburgo discessit in Petershagen, Residentiam ordinariam Episcopalem Mindensem, præfidiatam milite Cæsareo; ac altera die Capitulares ad se evocavit. Venerere Deputati, quibus tam Illustrissima Sua Celsitudo, quam Reverendissimus Dominus Cardicensis Episcopus, uti à Serenissimo Electore Ferdinando Colonienfi, nomine Sedis Apostolicæ, delegatus, ipsis statum explicuit; ac mandata Apostolica & Cæsarea aperuerunt. Illi, ad rem examinandam & Capitulo relationem faciendam, recesserunt; cum jam Capitulum generale ob festum sanctæ Præcedis instaret. Altera die Illustrissimus, cum Domino Apostolico executore, rectâ pergit Mindam, & ad suam domum Episcopalem evocat Capitulum; ubi omnes ac singuli comparent, excepto Coadjutore prætenso. Tandem venit ad tractatus; & res eò deducta est, quod partitionem mandatis Apostolicis ac Cæsareis promitterent; prius tamen, per Deputatos Capituli, Christianum Ducem desuper monendum, ipsique Reverales in memoriam revocandas censuerunt. Ergo interim Capitulationes hinc inde tractatæ & conclusæ, dies ingressus solemnis, modus, in possessione danda & acceptanda competens, firmatus, conscriptio Statuum vasallorumque, ad præstanda homagia, determinata utrinque fuere. Dedit etiam Illustrissimus tam Capitularibus singulis, quam ipsi prætenso Coadjutore, amnestiam generalem, dummodo vicissim voluntati ac mandatis utriusque supremæ potestatis, nec non suo debito, in posterum satisfacerent. Quod promiserunt. Die igitur vigesima secunda mensis Julii, solemnis paratus est ingressus; manè circa decimam ex arce Petershagen discessum est; in via Nobiles patriæ se stiterunt & aulæ Illustrissimi

fimi junxerunt, apud Civitatem Consules & Magistratus, Officialesque Cæsarei præsidarii: apud Ecclesiam à Capitularibus exceptus, ceremoniis debitis deductus, in Capitulo juramentum præstitit; aliaque, ut Osnaburgi & Verdæ, juxta morem harum Ecclesiarum observata sunt. Altera die homagium à Nobilitate & Civitate exceptum; Dicta solemnis, cum convocazione omnium Statuum absentium, celebrata; similiter dies, pro feudis renovandis, vasallis indicta; aliaque, quæ regimen temporale spectant, ante omnia hic videbantur primo stabilienda: promulgata postmodum Synodus, quæ cum omnibus ceremoniis in Cathedrali Ecclesia celebrata fuit

xv Octobris, uti Anno M D C XXVIII Osnabrugensis Synodus major. evocatus iterum Reverendissimus Dominus Pelckingius, Episcopus Cardicensis; qui Pontificalia peregit, & ipse sermonem pulchrum Synodalem, etiam præsentem populo, habuit. Statuta hujus Synodi hic subjicientur, si prius seriem ac ordinem Episcoporum enumeraverimus; ex quo apparet, in hac Ecclesia semper fuisse Præsules Catholicos continua serie per octingentos annos, præter Christianum; qui tamen inter eos numerari non potest, cum tantum Capituli nomine administraverit; penes quod, uti Catholicum, etiam omnis potestas ac jurisdictio refedit.

S E R I E S   A C   O R D O  
E P I S C O P O R V M  
E C C L E S I Æ   M I N D E N S I S ,

quæ est Suffraganea

A R C H I E P I S C O P A T V S  
C O L O N I E N S I S .

CAROLVS MAGNVS, Ecclesiæ Mindensis  
Fundator circa annum Christi DCC LXXX.

- |       |   | Anni                 |
|-------|---|----------------------|
| I.    | S. HERVMBERTVS, vir pietate insignis, primus huic Ecclesiæ præficitur Episcopus.  | Sef-<br>fio-<br>nis. |
| II.   | HARDWARDVS, sedit circa annum Christi D CCC XXXVII. Sub hoc floruisse fertur S. Meimelphus, Diaconus & Confessor, in Diocesi Mindensi miraculis clarus.   | Obi-<br>tus.         |
| III.  | S. THEODORICVS I, à Nortmannis una cum multis aliis occisus, in loco, dicto Eppeckstorff, gloriosissime occubuit. Hic Monasterium Monialium in Wenstorpe, in honorem SS. Cosmæ & Damiani, fundavit. |                      |
| IV.   | WILFARIVS.  |                      |
| V.    | DR OGO. hujus tempore, in honorem sancti Dionysii & sociorum, fundatum est Monasterium in Mollenbecke.  |                      |
| VI.   | ADELBERTVS, grassantibus nationibus barbaris, turbulenta sensit tempora.  |                      |
| VII.  | BERNHARDVS, doctrina & pietate clarus.  |                      |
| VIII. | LYDARIVS, sub Imperatore Conrado Ecclesiam feliciter rexit. Sub hoc Monasterium in Visbeck ædificatur. Sedit circa annum D CCCC XXXVI.  |                      |
| IX.   | EBERGISSVS, vir magnæ sanctitatis, sedit circa annum D CCCC XXXIX.  |                      |
| X.    | HELINWARDVS, Ecclesiam Cathedralem, in præsentia aliorum Episcoporum, anno Christi D CCCC LIII, consecravit, Præfulatus sui sexto.  |                      |

XI. LAND-

	Anni	Sef-	Obi-
		fio-	tus.
XI. LANDWARDVS, primus ab Ottone Magno Imperatore, anno d cccc lxi, Regalia impetrat. Obiit in die SS. Cosmæ & Damiani.		nis.	974
XII. MILO, fedit tempore Ottonis III, Imperatoris. fundavit, anno Christi d cccc xciv, in Monte Wedegonis, Monasterium Monialium sub Regula S. Benedicti.			996
XIII. RAMWARDVS. Hic Monasterium in Monte Wedegonis Mindam transtulit. fedit circa annum Christi M ix.			1022
XIV. THEODORICVS II, moritur ix Februarii.			1036
XV. SIGBERTVS, fundavit Ecclesiam S. Martini Mindæ, anno Christi M xxxvi. Sub hoc cœpit Comitæ seu Comitatus de Schawenburg.			1056
XVI. BRVNO, ex Canonico Magdeburgensis Ecclesiæ factus Episcopus Mindensis, fundavit apud Mindam Monasterium S. Mauritii, ad Civitatem postmodum translatum; nec non Monasterium B. M., à prædecessore inchoatum, opera & consecratione consummavit; Ecclesiam S. Martini augmentavit: obiit in die S. Scholasticæ, fedit circiter	18		1056
XVII. ENGELBERTVS, natione Bavarus. Sub hoc, anno Christi M lxii, Cathedralis Ecclesia incendio conflagravit; quam anno M lxxx i denuo reconciliavit.	25		1080 1089
XVIII. REIMVNDVS, obiit in Vigilia Cathedralis sancti Petri.			1094
XIX. VOLMARVS, Canonicus Hildesimensis. Hic, vivente Reimundo, in-vasit Sedem Episcopalem, à sancto Gorgonio (ut ajunt) postquam sedem tenuit circiter annis quinque, interemptus circa annum			1120
XX. VDALRICVS, præfuit circa annum Christi M xcvi.			1141
XXI. GOTSCHALCVS, præfuit circa annum Christi M cxii.			1156
XXII. WIDELO, vir pius ac devotus, præfuit circiter annis	7		1173
XXIII. SIGWARDVS, anno Christi M cxxiv, tertio Kalendas Aprilis, Dominica Palmarum, Episcopus est consecratus à Legato Calixti II Papæ. moritur in die S. Victoris. fedit circiter	21		1185
XXIV. HENRICVS I, Abbas Monasterii S. Mauritii. Sub hoc initium habuit Monasterium in Schina, prope Stoltenaw, Ordinis S. Benedicti, in honorem S. Viti Sociorumque; & aliud in Lucca, in honorem sancti Georgii Martyris.			1206
XXV. WERNERVVS, Præpositus Ecclesiæ Cathedralis. obiit in Vigilia sancti Martini.	17		1209
XXVI. ANNO, ex Comitibus de Blanckenburg, variis Ecclesiam Mindensem auxit Reliquiis. Sedit circiter annis xi i. obiit postridie S. Valentini Martyris.	12		1236
XXVII. S. DIETHMARVS, vir magnæ sanctitatis, & miraculis clarus.	21		1243
XXVIII. HENRICVS II, moritur in festo S. Praxedis.	3.		1252
XXIX. CONRADVS I, ex Nobilibus de Diepholt.	27		1261
XXX. WILHELMVS, dura sensit tempora. moritur circa annum M cc xliiii.	6		1265
XXXI. IOANNES. Sedit circiter annis	10		1275
XXXII. WEDEKINDVS I, de Hoya, victoriosus adversus suos hostes. obiit in Vigilia S. Matthæi Apostoli.	9		1280
XXXIII. CONO, ex Nobilibus de Diepholt, seu, ut alii, ex Militaribus de Weye. moritur in festo Cathedralis S. Petri.	4		1295
XXXIV. OTTO I, Monachus Ordinis S. Dominici, jura suæ Ecclesiæ egregie defendit. obiit in Octava S. Martini Episcopi.			1314
XXXV. VOLQVINVS, ex Comitibus de Schwalenberg. Hic de Villa Lubbecke fecit Oppidum, eoque Canonicos de Alschwede transtulit. Sedit circiter annis	6		1324
XXXVI. CONRADVS II, ex Nobilibus Saxonix de Werberge.			1324
XXXVII. LVDOLPHVS Rottorpe, natione Saxo. Hic castrum Steigerberg ædificavit. obiit in festo S. Albani.			1346
XXXVIII. OTTO, aliis GODEFRIDVS, de Waldegge. Hic Castrum Petershagen anno Christi M ccc xv erexit.	10		
XXXIX. LVDVICVS, filius Ducis Luneburgensis. Sub hoc Castrum Schlusfelborg est ædificatum; fuitque anno M ccc xlii, circa festum Mariæ Magdalenæ, magna inundatio Visurgis.	22		

		Anni	
		Ses-	Obi-
		fio.	tus.
XL.	GERHARDVS I, Nobilis Comes de Schawenburg, Apostolicè provifus. Hic Castrum Rhoden Ecclesiæ suæ adjecit. quo anno obierit, ignoratur.	7	
XL I.	THEODORICVS III, cõgnomento Cagelmind, de Ordine Cisterciensium. Tres habuit Episcopatus; postmodum etiam, propter rara ingenii talenta, ad Archiepiscopatum Magdeburgensem est electus. Verum, cum huic Episcopatu aliquot annis præfuisset, propter intestinas similtates, derelicto Episcopatu, ad patronum suum, Carolum IV Imperatorem, profectus, apud eundem in Bohemia mortuus est.		
XL II.	GERHARDVS II, Comes de Schawenburgh, Apostolicè provifus. Hic, anno Christi MCCC LXII, construxit oppidum Petershagen. In peregrinatione, cum fratre suo Adolpho in terram sanctam suscepta, obiit. Fundatur, post ejus obitum, à fratribus in Ecclesia Cathedrali Altare S. Catharinæ Virginis.		1366
XL III.	OTTO II, cognomento Wettin, ad Episcopatum per Carolum IV Imperatorem promotus, cum duobus annis præfuisset, in festo sancti Alexii obiit.	2	1368
XL IV.	WEDEKINDVS II, Nobilis de Monte, anno MCCC LXIX, die XVII Octobr. Mindam introductus, & pro Episcopo receptus, instituit festum S. Feliciani; & exstruxit Arcem Depenaw in fundo Mindensi. Sub hoc, anno MCCC LXXVI, fuit inundatio Visurgis.	16	1384
XL V.	OTTO III, Nobilis de Monte, præfati Wedekindi frater germanus. Hic Dominium Montis, Ecclesiæ Mindensi, perpetuo possidendum, resignavit. Moritur in festo Circumcisionis Domini.	14	1398
XL VI.	MARQUARDVS de Randegge, natione Suevus, propter egregias virtutes Apostolicè provifus à Bonifacio IX Papa: verum, cum pauco tempore præfuisset, eadem Romanæ Sedis autoritate transfertur ad Episcopatum Constantiensem anno MCCC XCVIII.		
XL VII.	WILHELMVS de Busche, Præpositus Ecclesiæ Mindensi.		
XL VIII.	OTTO IV, Comes de Ritberg, Apostolicè provifus.	3	
XL IX.	WALBRANDVS, Comes de Hallermund, Abbas Corbeiensis, vir magnæ memoriæ adversus hostes & invafores suæ Ecclesiæ.	30	1436
L.	ALBERTVS, Comes de Hoya, prædecessori suo diffimilis, moritur circa annum		1473
L I.	HENRICVS III, Comes de Schawenburg, eligitur Episcopus xxx Julii MCCCC LXXIII.	35	1508
L II.	FRANCISCVS I, Dux Brunsvicensis & Luneburgensis. Is juramentum Episcopale præstitit Dominicâ Vocem jucunditatis MDIX, & laudabiliter præfuit.		
L III.	FRANCISCVS II, Comes de Waldeck; fuit etiam Episcopus Monasteriensis & Osnaburgensis. Hic, inductus in hæresin, Lutheranis magnam libertatem reliquit; monitus autem à Pontifice & Imperatore, resipuit, errores in fide retractavit, Synodos & reformationem tam Cleri quam populi faciendo. Resignat, ad manus Capituli, Episcopatum anno MDLIII. Hujus tempore accrevit Visurgis usque ad summum templum & medium forum; & inundationem hanc vehemens pestis est subsecuta.		
L IV.	IVLIVS, Dux Brunsvicensis & Luneburgensis, postulatur anno MDLIII; postmodum resignat.		
L V.	GEORGIVS, ex Ducibus Luneburgensibus, Præpositus Colonienfis, postulatur Episcopus anno MDLIV, mensè Octobri; factus deinde Archiepiscopus Bremensis, & Episcopus Verdensis. Fuit hic Catholicæ fidei pacisque, usque ad finem vitæ, observantissimus.	12	1566
L VI.	HERMANNVS, Comes de Schawenburg, Canonicus Colonienfis, postquam annis xv præfuisset, Episcopatum ad manus Capituli, XXIX Januarii MDLXXXII, resignat.	15	
L VII.	HENRICVS IVLIVS, Administrator Halberstadiensis, postquam annis tribus circiter præfuisset, Episcopatum ad manus Capituli resignat xxv Septembris MDLXXXV.	3	

LVIII. AN-

- LVIII. ANTONIVS, Comes de Schawenburg, ob jus devolutum, à Metropolitano Ernesto Archiepiscopo Colonienſi nominatus, ſucceſſit, poſtquam Sedes annis circiter duobus vacaſſet. Fuit frater ſupradicti Hermanni, & Adolphi Colonienſis Archiepiſcopi. Moritur VI Februarii.
- LIX. CHRISTIANVS, Dux Brunſwicenſis & Luneburgenſis, mortuo Antonio, nomine Capituli, ſæculare Eccleſiæ regimen adminiſtrat uſque ad annum M D C XXXIX; quo anno, tam ab Urbano Papa VIII, quam ab Imperatore Ferdinando II, juxta Canones, Concordata Germaniæ, & Constitutiones Imperii, ordinatur & regalizatur Episcopuſ Franciſcus Guilielmus, Comes de Wartenberg.
- LX. FRANCISCVS GVILIELMVS, Comes de Wartenberg, Episcopuſ Oſnabrugenſis & Verdenſis, anno Chriſti M D C XXXII, die XXI Iulii, accipit poſſeſſionem. Sub hoc, M D C XL, menſe Decembri, moritur Otto, ultimus Comes de Schawenburg; quem Comitatum, uti Eccleſiæ ſuæ Mindenſis feudum, contra quoldam iniuſtos detentores, ſequenti anno, per juſ à Cæſare aſſertum, dictuſ Episcopuſ obtinuit & defendit. Vivit adhuc anno M D C LIII. cui Deus longam in terris & immarceſcibilem in cæliſ felicitatem concedat.

Anni  
Seſſio-  
tus.  
nis.  
12 1599

Series hæc Episcoporum, ſecundum annos integros ſupputata eſt, menſibus, hebdomadibus, diebus non ſubductis, ut eo expeditior eſſet & certior ratio Chronologiæ, in qua nonnulli uti variant, ſic vacillant.

## I N D E X

eorum quæ continentur hac Synodo.

**E**xordium Episcopale, cum Formula profeſſionis fidei.

## P A R S I.

DECRETVM I. De promulgatione Concilii Tridentini, Statutorum Provincialium, & eorum obſervantia.

II. A quibus & per quos profeſſio fidei faciendâ.

III. De Doctrina Chriſtiana, & Seminario.

IV. De cultu divino, ornatu templi, & proceſſionibus.

V. De ornatu, ad cultum divinum debite peragendum, & Reliquiis.

VI. De cultu venerationeque Sanctorum & ſacrarum imaginum, Feſtorum obſervatione, & jejunio, nec non receptione Calendarii Gregoriani.

VII. De feſto Conceptionis B. M. Virginis ſolemniſter, cum publica gratiarum actione, celebrando.

VIII. De Hereticis & Judæis.

IX. De inſtitutione & adminiſtratione Sacramentorum.

X. De Sacramento Baptiſmi.

XI. De Sacramento Confirmationis.

XII. De SS. Eucharistiæ Sacramento.

XIII. De Sacramento Pœnitentiæ, & caſibus reſervatis.

XIV. De Sacramento Extreme unctiõnis.

XV. De Sacramento Ordinis.

XVI. De Sacramento Matrimonii.

## P A R S II.

I. De Eccleſiaſtica immunitate.

II. De teſtamentorum & legatorum juſe.

III. De vita & honeſtate Clericorum, nec non damnaſibili Simonia vitio & uſurarum.

IV. De Eccleſiaſticis beneficiis, eorumque collationibus, rebus Eccleſiæ, ac Proviſoribus.

V. De reſidentia Clericorum.

VI. De Prælatiſ.

VII. De Parochiſ & Curatiſ.

## P A R S III.

I. De Regularium vita & diſciplina.

II. De Iuriſdictione & Iudicio Eccleſiaſtico.

III. De conſtitutione Eccleſiaſtici magiſtratus, & Synodiſ biſ in anno celebrandiſ.

Et ſubjungitur

Status Dioceſioſ, qui ſuit hujus Synodiſ tempore.



# SYNODVS DIOECESANA MINDENSIS,

PRÆSIDENTE

Reverendissimo & Illustrissimo Principe ac Domino,  
D. FRANCISCO GVILIELMO,  
EPISCOPO ECCLESIAE MINDENSIS,  
nec non Ecclesiarum Osnabrugensis & Verdenfis,  
Comite de Wartenberg, & Domino in Wald,

Celebrata xv Octobris MDCXXXII.



RANCISCVS GVILIELMVS, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Mindensis, Osnabrugensis, & Verdenfis, Præpositus Ratisbonensis, Comes de Wartenberg, & Dominus in Wald; Vniuersis & singulis Cathedralis Nostræ & Collegiatarum Parochialiumque Ecclesiarum Prælati, Abbatibus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Parochis, Rectoribus & Curatis, cæterisque Civitatis & Diœcesis Nostræ Mindensis Clericis, & personis Ecclesiasticis, tam Regularibus quam secularibus, salutem in Domino sempiternam.

Copioso in misericordia DOMINO, cui de sua abundantia pietatis placuit, Nos (licet insufficientibus meritis) ad hujus Episcopatus Mindensis dignitatis vocare eminentiam, tanto eidem debemus gratias, & in concedita Nobis Pastoralis cura vigilantiam, impensius; quantò hoc præsens in Imperio multifariam multisque modis exegit rerum status. Quapropter non immerito diligens Nos cura sollicita continuâ instantiâ pullat, & curiosa sollicitudo perurget, ut, circa subditorum fidelium statum salubriter dirigendum, sic efficacibus studiis & promptis operibus intendamus, quo per Nostræ cooperationis ministerium devotio filiorum concresecat, candor & optata puritas salviæ religionis (relegatâ patris mendacii & filiorum ejus nequitia) redeat, violata hætenus Ecclesiastica libertas & immunitas redintegretur, & partim sanctitatis tranquillitatique resurgant incrementa. Quod tunc recte Nos agere credimus, cum

molestis eventibus viam præcludimus, indirecta dirigimus, noxia subtrahimus, & salubria procuramus, antiquorum innovatione & novorum editione jurium.

Cum autem omnis cognitio eorum, quæ secundum exactæ considerationis examen reformantur in melius, vel ad ipsam introductionem salviæ religionis, vel ad correctionem Ecclesiasticæ disciplinæ & morum, referatur: principio, reformationis accommodæ remedium ibi inchoandum putavimus, ubi majus periculum imminere intelleximus, ac justam omnipotentis Dei vindictam in filios diffidentia executam, sacro eloquio contestante, & præsentium pœnarum grassatione, id comprobante experientia, agnovimus, quando veræ ac salviæ religionis contemptus & neglectus, tempore etiam illo quo Dominus priora delicta recentibus pœnarum exemplis cavenda monstravit, gladio ultore punitus, bellica cæde, peregrina captivitate, justo Dei judicio semper est vindicatus. Ad quam vindictam divinam tollendam, uno ore publice profitemdam & promulgandam duximus, non proprio ingenio excogitatum aut mutilatum, sed integram & illibatam, sacrosanctæ Ecclesiæ, ex SS. Patrum traditione, obedientia filiali receptam, quam corde credimus, fidem; cujus tenor sequitur.

### *Forma Professionis Fidei Catholica.*

EGO N. N. firma fide credo & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur. videlicet,

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ, visibilium omnium

omnium & invisibilium. Et in unum Dominum nostrum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum; & ex Patre natum ante omnia secula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum non factum, consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de caelis; & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine; & homo factus est; crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est; & resurrexit tertia die secundum Scripturas; & ascendit in caelum; sedet ad dexteram Patris; & iterum venturus est cum gloria iudicare vivos & mortuos; cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum, & vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur; qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptismum in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum; & vitam venturi seculi, Amen.

Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes & constitutiones, firmissime admitto & amplector.

Item S. Scripturam, juxta cum sensum quem tenuit & tenet S. Mater Ecclesia, cujus est iudicare de vero sensu & interpretatione SS. Scripturarum, admitto: nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam & interpretabor.

Profiteor quoque, septem esse, vere & proprie, Sacramenta novae legis, à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria; scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaque gratiam conferre: & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoque & approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemnè administratione, recipio & admitto.

Omnia & singula, quae de peccato originali, & de justificatione, in S. Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio.

Profiteor pariter, in Missa offerri Deo ve-

rum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro vivis & defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter, & substantialiter Corpus & Sanguinem, una cum anima & divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, & totius substantiae vini in Sanguinem: quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat.

Fateor etiam, sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum, susti.

Constanter teneo, Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari.

Similiter & Sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmiter assero, imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum, habendas & retinendas esse; atque eis debitum honorem & venerationem imperiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse, assero.

Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem & Magistram agnosco, Romanoque Pontifici, B. Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac juro.

Cætera item omnia, à sacris Canonibus & OEcumenicis Conciliis, ac praecipue à sacrosancta Tridentina Synodo, tradita, definita & declarata, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascunque, ab Ecclesia damnatas, rejectas & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest; quam in praesenti sponte profiteor, & veraciter teneo; eandem integram & immaculatam, usque ad extremum vitae spiritum constantissime (Deo adjuvante) retinere & confiteri, atque à meis subditis, seu illis quorum cura ad me in meo munere spectabit, teneri, doceri, & praedicari, quantum in me erit, curaturum, Ego idem spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

## P A R S P R I M A .

## D E C R E T V M I .

*De promulgatione Concilii Tridentini,  
Statutorum Provincialium, & eorum  
observantia.*

**R**em non novam aggredimur, sed aliorum Sanctorum ac vicinorum Episcoporum exempla imitamur, nec non ipsius sacrosancti Concilii Tridentini monita, tanquam Ecclesie Romanæ Catholicæ vere obediens filius, merito obediens sequimur. Decreta itaque ejusdem sacrosancti OEcumenici Concilii eò lubentius promulgamus, quod & ab universali illa in Spiritu sancto legitime congregata Synodo, ad ebullientem & grassantem in Germania nostra hæresin supprimendam, atque mores Ecclesiasticorum, pro nimium depravatos, expurgandos, remedia opportuna, ex instinctu Spiritus sancti indicata ab Adolpho Archiepiscopo suisque Suffraganeis, & Prædecessore Nostro, hujus Mindensis Ecclesie Episcopo Hermannus, ac per suos Legatos, ad restaurandam conservandamque religionem, integritatem morum tam in Clero quam in populo, pietatemque Christianam reducendam, ut plurimum suggesta, ac ante ab eo in Concilio Metropolitano, Anno MDXXXVI, pie ac prudenter concurrentibus ad id singulorum Suffraganeorum & Prædecessorum Nostrorum veris & sententiis, sancte instituta inveniuntur.

Accedit, quod Nos in eadem altissimi Episcopalis muneris sede, in pari, si non majori, turbulento rerum statu prædominantis quasi hæresis positi, Clero Ecclesiarum Civitatis Nostræ Mindensis excepto, ab unitate fidei subditos omnes defecisse intelleximus ac recognovimus; ut non immerito cum Propheeta querulari possimus: *Vinea nostra in Ægyptum translata est; vindemiarunt eam omnes, qui prætergressi sunt viam; exterminavit eam aper de sylvâ, & singularis ferus depastus est eam.*

Hinc jure, & Prædecessorum exemplo, remedia illa, à communi Ecclesie Spiritu approbata ac demandata, apprehendimus; & per viscera misericordie Dei obsecramus, ac in virtute sanctæ obedientie mandamus, ut omnes tam salubria decreta, non solum recipiant, verum etiam observent, ac, quorum interest, observari faciant, ut, cum venerit Dominus vineæ, non inveniatur amplius ficum infructuosam in vinea nostra, cui maledicatur.

Præterea, simili ratione publicamus, publicataque observanda præcipimus, omnia &

singula Statuta Metropolitana S. Sedis Coloniensis; ad quorum observationis facultatem illa de novo imprimi curavimus: mandantes, omnibus & singulis de Clero Nostro, ut non solum illorum copiam, verum & Decretorum hujus Nostræ Synodi Diocesana, quæ similiter intra paucos dies typis evulgabuntur, intra terminum futuræ alterius Synodi, sibi procurarent, diligenter penes se habeant, legantque; ut videre possint, quò gradi ipsos oporteat, quo sequi, quò alios ducere, & statu suo nunc emendent quod destruxerunt, & reedificent bono virtutum odore quæ labi fecerunt vel permiserunt.

## D E C R E T V M I I .

*A quibus & per quos professio  
fidei facienda.*

**A**d religionem Catholicam observandam reducendamque uti nil salubrius aut commodius inveniri potest, præsertim in iis qui aliis præsunt vel ad dignitates statumque altiore promoventur, quam ut, qui corde credunt ad justitiam, ore confiteantur ad salutem: hinc statuimus, ut nullus in Cathedrali nostra & singulis Collegiatis per Civitatem & Diocesim Nostram, ad dignitates, Archidiaconatus, Personatus, Canonicatus, Vicarias, Commendas, seu instituta, ut vocant, beneficia, tam curata quam non curata, admittantur, nisi professionem fidei præmittant, coram Crucifixi sanctissima imagine, duabus candelis in mensa vel altari, ac testibus præsentibus. Et, qui provisus de dignitatibus, quarum confirmatio vel collatio ad Nos spectat, uti & in beneficiis curatis, coram Nobis aut Vicario Nostro in spiritualibus, profitebuntur. De aliis vero dignitatibus, officiis & beneficiis in Ecclesia Nostra Cathedrali vel Collegiatis provisus, in manibus Decani & Capituli Ecclesie, ad quos spectat, antequam possessionem vel per se vel per procuratorem accipiant, emittant.

Abentes, qui per procuratorem ad possessionem perveniunt, ad perceptionem fructuum, seu reale residentiam, non admittantur, nisi etiam personaliter, licet per Procuratorem præstiterint, ipsi præsentent.

Sub his etiam intelligimus Collegia Virginum; quarum Abbatissæ, Priorissæ, aliæque, dignitates ac præbendas obtinentes, ad hoc juramentum teneantur similiter. Ad idem tenebuntur Monasteriorum & regularium Ordinum Prælati. Superiores etiam Religiosorum, antequam suis Officiis, & eorum subditis cum cura animarum, aliisque publicis functionibus,

*Isal. 79.  
vers. 9,  
13, 14.*

*Matth. 3.  
v. 10.  
Luca 13.  
v. 8.*

*Rom. 10.  
v. 10.*

nibus, & audiendis confessionibus, habendis concionibus, aut professionibus ac lectionibus scholasticis, destinabuntur, in manibus suorum Superiorum emittent. qui verò confirmationem vel approbationem à Nobis recipere tenentur, coram Nobis vel Vicario Nostro præstabunt.

Quoad Laicos, volumus, ut suo tempore Pastores (nisi alii à Nobis fuerint deputati) hanc professionem suscipiant ab omnibus officariis secularibus qui ad eam præstandam tenebuntur; ut sunt Consilarii, Drossardi, Secretarii, Quæstores, Wigravii, Scribæ judiciorum quorumcunque, Ludimagistri, Edictui seu Custodes, Vogteri, & alii quicunque, ut Consules Civitatum, Scabini, Syndici & omnes de Magistratu ac curia, & in officiis publicis Civitatum, oppidorum ac communitatum. Item, qui voluerint recortiliari Ecclesiæ Catholicæ cum hæresis abjurazione, hanc publice professionem faciant, nisi ex causis Nobis vel Vicario Nostro differendum videatur. De Professoribus facultatum, promovendisque in iis ad gradum, sic statuere Nobis visum fuit, ut coram suo Academico magistratu, Cæremoniis prædictis adhibitis, professionem fidei præstent. Nulli etiam omnino suffragari volumus, hoc juramentum una vel altera vice esse præstitum; sed semper & quancunque ad beneficia nova aut officia assumuntur, toties præscriptam professionem debite præstabunt.

DECRETUM III.

*De Doctrina Christiana, & Seminario.*

Hæc vero fides Catholica, ut electum fidei donum, per gratiam S. Spiritus infusum, mente jam tum comprehensum, & professione publica contestatum, non solum frequentibus actibus augenda, sed & aliis piis exercitationibus, Deo ad gloriam, proximo ad ædificationem, sibi que ad salutem meritumque auctius, cuique est exornanda.

In iis, qui ad aliquam pervenerunt ætatem, multum valet frequens Concionum auditio, lectiones sacræ, quæ de rebus divinis, controversis fidei, quæstionibus morum & casibus conscientiæ sunt, tum privatim, tum & publice in scholis tam hujus Diocesis Nostræ, quam vicinarum, vel quæ ulterius in Monasteriis Collegiisque constituentur, (ad quas maxime obligari volumus eos, qui circa animarum hac in Diocesi Nostra curam quomodolibet præesse desiderant,) cum Apostolus dicat, quod adultis Dei verbum per auditum donetur.

Infantibus etsi in sacro baptisate fides infunditur, ea tamen non nisi sacra Catechesi conservari debet, ulteriorique instructione

Christiana, quam omnibus Pastoribus, aliisque per Nos deputandis, summe commendamus.

Et, uti nemo alium instruere valet, qui non & ipse prius bene instructus sit; ita, secundum Concilium Tridentinum, summe optamus Seminarii publici erectionem, in quo Clerici studiosi educari instruique possint, qui ad curam animarum proximique salutem applicentur. Ea Nobis & Capitulo Nostro res jam maxime, eo que magis curæ est aliisque esse debet, quò miseræ animæ subditorum, ob inopiam Sacerdotum, adhuc, ad ovile Christi reduci non possunt, cum messis magna sit, operarii vero, non, pauci, sed nulli.

Constituimus ergo, Seminarium erigendum in Vniversitate S. CAROLI, Osnabrug. & hujus Diocesis Nostræ aliarumque in Saxonia fundatoris; ex qua etiam olim hæc in partes viri, sanctitate & doctrina conspicui, educti sunt. Et, uti jam Alumnos eum in finem assumere cœpimus, ita non solum omnes & singulos in Domino hortamur, sed etiam præcipimus, ut operi, tam salutari, ipsimet etiam intendant, & ad id, sine discrimine, secundum normam & formam à S. Concilio Tridentino præscriptam, sedulo concurrant ordinariis & extraordinariis remediis quibuscunque. Nec Nos nostro Officio zeloque animarum deerimus. Similiter & ubique scholas erigi volumus, in quibus juniores utriusque sexus prima principia religionis Christianæ & aliqualis doctrinæ haurire possint. quorum curam & Ecclesiarum Prælati ac Curati in Domino unice commendamus.

DECRETUM IV.

*De cultu Divino, ornatu templi, & Processionibus.*

Præter conciones lectionesque, scholas publicas & privatas, seminaria, idem sacrosanctum Concilium Tridentinum quoque, maxime ad unitatem fidei conservandam, censet medium aptissimum, uniformem divini cultus cæremoniarumque exhibitionem. Cum itaque Breviaria ac Missalia propria Diocesis Nostræ, olim edita, vix amplius, vel non nisi cum defectu aliquo, & minus authentica, supersint, & exinde plerique simul Romanum Breviarium & Missale assumpserint, ex quo magna confusio & discrepantia consecuta est: ideo, uniformitatem in Ecclesiam Nostram inducere volentes, mandamus, ut omnes Clerici, Canonici, Pastores & Ecclesiæ ministri, sibi de Romanis prospiciant, ritumque Romanum per omnia servant: Procurabimus etiam, ut libri, ad hunc Romanum usum necessarii, commode in Civitate Nostra Mindenfi haberi possint.

Sit ad Ecclesias humilis & devotus ingressus, conversatio Deo & hominibus placens, devotio reconcilians; absint à domo Dei vana & prophana colloquia; exulet omne id, quod redundare dignoscitur in divini numinis offensam; negotiationes, & præcipue nundinarum ac fori cujuscunque tumultus, ab Ecclesiis earumque cæmeteriis proscribantur; ac omnis denique sæcularium judiciorum strepitus, & potestas prorsus extranea, in eis conquiescat, ne, quod absit, ubi peccatorum postulanda est venia, deprehendantur & cumulentur peccata. In divinæ autem laudis tributis, quæ debito exhibentur officio, omnia sub maturo tenore distinctaque gradatione peragantur; psallat fides, devotio plaudent, modestia tripudiet, gravitas jubilet, & singuli alacri animo pronaque voluntate concinentes, in unum sua studia laudabiliter exequantur, uno porro eodemque cultu ac ritu.

Aquæ lustralis, nec non cinerum, herbarum, palmarum, aliorumque fructuum, definitis temporibus ac certis diebus in Ecclesia benedici solitorum, usum legitimum ac rectum probent ipsi, & aliis commendent, & quoniam cæremonias hujusmodi, hæretici vel ex ignorantia contemnunt, vel ex malitia derident, ipsi tueantur; mysteriaque, quæ in his latent, & vim adversus antiqui hostis insidias, & sciant ipsi, & aliis, ubi opus fuerit, ad confutandos hæreticorum errores, ex probatis autoribus explicent.

Eadem ratione, non solum adversus A catholicos defendere, sed ipsimet etiam publicas totius Ecclesiæ processiones, seu peculiare, seu Diocesis stas, seu ex occasione indictas, quoties eæ instituentur, visitare tenentur. ad quas, etiam Regulares quicunque, etiam Monachi, ad easdem vocati, comparere tenebuntur. Noverint vero omnes, in hujusmodi processionibus, quæ prælata cruce aut vexillo, bono ordine, viris in unum, fœminis in alium cœtum distributis, debent fieri, abstinendum prorsus esse à fabulis, risibus, nugis, levitatibus, discursibus, curiositatibus, compotationibus, præbendumque Laicis esse modestiæ & pietatis exemplum. Si qui vero symposia aut nundinationes quascunque erexerint, eas abrogent Parochi.

#### DECRETUM V.

*De ornatu, ad cultum divinum debite peragendum, & Reliquiis.*

**C**edit in offensam divini numinis, opprobrium & irreverentiam divini cultus, si tremendum Domini memoriale in cultu abjecto, prophano loco, & immundo representetur ornatu, ante altare. Quapropter omnibus Decanis, Plebanis, Religiosorum omniura su-

perioribus, & aliis quorum interest, sub obtestatione divini judicii, eorum conscientiam onerantes, strictissime mandamus, quatenus ornamenta, ad divinum cultum necessaria, in Ecclesiis sibi demandatis diligenter examinent, & tam quæ ad decorem & restaurationem domus Domini, quam cultum divinum debite peragendum, desiderari videbuntur, per eos, quorum de jure interest, congruo tempore suppleri faciant. Insuper etiam Reliquiæ Sanctorum, quas, cum lachrymis, abjectas & nullo cultu affici, vidimus, diligentius curentur, nec non debito honori reverentiæque quam primum restituantur: nullæ, sine expressa Nostra licentiâ, in scriptis obtenta, extrahantur, donentur, aut extra Nostram Diocesim portentur, sub pœna excommunicationis, latæ sententiæ.

#### DECRETUM VI.

*De cultu venerationeque Sanctorum & sacrarum imaginum, Festorum observatione, & jejuniis, nec non receptione Calendarii Gregoriani.*

**C**loriosus Deus in Sanctis suis, dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ, si, ad Dei & Sanctorum suorum laudes habendas, corda habebimus sursum elevata. Quapropter festa omnia, quæ vel universus Christianus Orbis, vel Nostra hæc Diocesis, ex antiqua & laudabili consuetudine vel pia Prædecessorum Nostrorum promulgatione, sacra habet, innovamus, & celebranda piâ devotione esse, promulgamus. Ac, ut omnibus notum sit, quæ festa etiam in foro celebranda & veneranda sint, hanc tabellam seu notam subjici curavimus; quam, etiam vulgari lingua versam, propediem publicabimus.

#### FESTA MOBILIA.

Dominica Paschæ, cum duabus sequentibus diebus.  
Ascensio Christi.  
Dominica Pentecostes, cum duabus sequentibus diebus.  
Corporis Christi.

#### FESTA IMMOBILIA.

*In Ianuario.*  
Die I. Circumcisionis Domini.  
VI. Epiphania Domini.  
XXV. Conversio S. Pauli.  
*In Februario.*  
II. Purificatio B. Mariæ Virginis.  
XXIV vel, anno bissextili, XXV. S. Mathiæ.  
*In Martio.*  
XXV. Annuntiatio B. Mariæ Virginis.  
*In Majo.*  
I. SS. Philippi & Iacobi, Apostolorum.

In

*In Junio.*

- xxiv. S. Ioannis Baptistæ.  
xxix. SS. Petri & Pauli, Principum Apostolorum.

*In Julio.*

- ii. Visitatio B. Virginis Mariæ.  
xxi. S. Mariæ Magdalænæ.  
xxv. S. Iacobi Apostoli.

*In Augusto.*

- x. S. Laurentii Martyris.  
xv. Assumptio B. Virginis.  
xxiv. S. Bartholomæi Apostoli.

*In Septembri.*

- vii. Nativitas B. Virginis.  
xxi. S. Matthæi Apostoli.  
xxix. S. Michaëlis Archangeli.

*In Octobri.*

- Primâ Dominicâ post festum S. Michaëlis, celebratur festum S. Angeli custodis.  
xxviii. SS. Simonis & Iudæ, Apostolorum.

*In Novembri.*

- i. Omnium Sanctorum.  
ii. Animarum, ante meridiem.  
xi. S. Martini Episcopi & Confessoris.  
xxi. Præsentatio B. Virginis.  
xxv. S. Catharinæ Virginis & Martyris.  
xxx. S. Andræ Apostoli.

*In Decembri.*

- viii. Conceptio B. Virginis.  
xxi. S. Thomæ Apostoli.  
xxv. Nativitas Christi.  
xxvi. S. Stephani Protomartyris.  
xxvii. S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ.

Festis hisce diebus, omnes, officinas suas ac tabernas claudant; nemo negotietur aut nundinetur; nemo quicquam emat aut vendat, nisi quod ad diei illius victum, aut ægrorum curationem, est necessarium.

Abstineant etiam omnes ab operibus servilibus, & vel maxime à comotationibus, crapula, blasphemis, choreis, spectaculis, omnique levitate & indecentia; cogitantes potius, quomodo mentem, negotiis sæcularibus tota hebdomade distractam, colligere, Deum offensum propitiare, & salutem animæ (qui solemnitatum huiusmodi finis est) per poenitentiam salutarem & synaxin procurare possint. Quapropter integrum Missæ officium concionemque attente & religiose audiant; præcipua verò pietate obeant festa Christi Salvatoris, & Deiparæ Virginis, SS. Apostolorum, SS. Angelorum, Patronorum patriæ.

Si quæ evidens exercendi alicujus operis aut laboris necessitas inciderit, facultas ad id à Nobis vel Vicario Nostro, aut, si grave in morâ esset periculum, à Parocho, peti debet.

Vigilias quoque Sanctorum, Quadragesimam, Quatuor temporum jejunia, & quæcunque ab universali Ecclesiâ instituta, aut piis moribus recepta, omnes, quos aut ætas aut

morbus aut alia legitima causa non excusat, strictè observent; sicut & feriâ sextâ & Sabbarho, tribus Rogationum diebus, & S. Marci festo, nec non Vigilia Conceptionis immaculatæ Dei genitricis Virginis Mariæ, à carnibus abstineant. Dies esuriales, sequenti hebdomada servandi, prima immediate concione præcedente palam ex cathedra denuncientur.

Volumus etiam, ut imagines ac statuæ deformes, fractæ, vetustate corruptæ vel corrosæ, aliisque de causis indecentes, ex templis removeantur.

Mandamus præterea Pastoribus & aliis quibuscunque Ecclesiarum Rectoribus, ut nullæ posthac imagines, statuæ, epitaphia, altaria, in Ecclesiis & locis Ecclesiasticis ponantur, nec quicquam aliud constituatur aut mutetur, nisi Nostra aut Nostri in spiritualibus Vicarii approbatio præcesserit. Nec Pastores, multò verò minus Æditui aut Provifores, cuiquam in Choro sedem vel stationem certam concedant. quæ verò hætenus à quibusdam in Ecclesiis positæ fuerunt sedes ampliores, & prospectum ad summum altare impediunt, aut aliis obstaculo sunt, maxime verò quæ prope altaria collocatæ sunt, directione Vicarii Nostri & cura Pastorum ad debitam moderationem redigantur.

Antiquissima est, etiam apud Ethnicos, temporis distributio, & Calendiariorum memoria; quorum reformationem anno M D LXXXII, summus in terra Christi Vicarius Gregorius Papa XIII exquisitissimam tradidit, omnibusque servandam proposuit. Quam, uti omnes Catholici merito susceperunt suisque subditis servandam proposuerunt, Nos etiam, tam Episcopalis muneris quam Principalis potestatis autoritate, omnibus subditis Nostris acceptandam, & primâ Novembris proximi inchoandam, sub censuris aliisque poenis arbitrariis demandamus.

DECRETVM VII.

*De festo Conceptionis B. M. Virginis solemniter cum publica gratiarum actione celebrando.*

Præexcelsa cælorum Regina, mundi Domina, sedibus æthereis illata, pro salute fidelium pervigil, & sedula apud Deum, quem genuit, est oratrix, &, quasi acies castrorum, in terris gloriosa extirpatrix hæreticorum. cujus ope & patrocinio Ferdinandus II, invictissimus Romanorum Imperator, diversis vicariis extitit triumphator; utque ad habendas ulteriores redderetur aptior, miræ & immaculatæ Conceptionis festum quotannis per totum Romanum Imperium solemniter celebrari, idque sanciri & publicari, in votis habuit. Ad quod consentiendum & promovendum, quantum ex Nobis est, Nos tanto sumus

&

& fuimus promptiores, quanto magis hæc stella matutina, valde rutilans, ad habendas laudes, suo ubique patrocínio Nos fecit debitores. Primi itaque, invictissimi Imperatoris nostri desiderium exequentes, hac perpetua edictali valitura lege, id ipsum, ad instar festum Assumptionis, sub Vigilia & cum Octava solemniter celebrandum esse, publicamus, & præcipimus.

### DECRETVM VIII.

#### *De Hæreticis & Iudæis.*

**H**æreses, hæreticorumque doctrinas erroneas anathematizamus, reprobamus, & totaliter condemnamus; asserentes cum Concilio generali Constantiensi, quod omnes huiusmodi articuli, aut sunt piarum aurium offensivi, seditiosi, aut scandalosi, vel manifeste à fide devii, seu expressam hæresin continentes; prout in sententia, lata contra hæreticos & ipsorum perversa dogmata, plenius continetur. Quapropter universos & singulos, subjectos Nobis, in virtute sanctæ obedientiæ requirimus, & eis præcipiendo mandamus, quatenus, in spiritu virtutis Dei exurgentes, prædictorum hæreticorum sequaces, aut fautores, & eorum doctrinam reprobam cum opusculis, ubicunque illos seu illas contigerit reperiri, diligenter inquiratis. Mandamus insuper omnibus & singulis Ecclesiarum rectoribus, & eorum Vicariis, seu Presbyteris Diocesis Nostræ, Missarum in solemnibus celebrandis, speciales collectas & suffragia Nostro offerant Salvatori; quatenus Ecclesiæ sanctæ & veris Christicolis, contra quoscunque persecutores aut rebelles, ejuldem præsertim dictam fidem impugnantes, largiri dignetur victoriam & triumphum.

Libros hæreticos, illorumque lectionem, omnibus & singulis Clericis, nec non quibuscunque, prohibemus sub censuris Canonicis, nisi Nostram licentiam in scriptis habuerint.

Item, quod Iudæi, infra sex menses, ab eo tempore in antea, per totam Diocesim deferant signum; videlicet circulum de filis croceis in veste extrinseca ante pectoralia; & hæc quoad masculos; quodque scemina deferant duas rigas carulei coloris in peplis earundem, ad instar Iudæorum in urbe Romana: & quod nihilominus servetur Decretalis de usuris. Ad quæ omnino compellantur, tam per Ecclesiasticam quam per sæcularem potestatem.

Domos etiam cum Christianis prope immunitates & Ecclesias, in plateis item & locis publicis ubi Christianorum pia exercitia, directiones, atque publici Conventus habentur, non inhabitent. Nutrices infantium Christianæ mulieres illis non permittantur, uti nec ul-

li alii pro servitio illorum quocunque; ne Christiana libertas tantæ perfidiæ ac mancipiis diaboli subjacere vel cooperari videatur. Omnis præterea accessus ad domos illorum, præsertim parvulis Christianorum, omnino sit prohibitus. Monemus etiam Religiosos quoscunque, aliosve viros doctos, ut, pro conversione ipsorum, & per gratiam sancti Spiritus amovendo velamine de cordibus eorum, Deum incessanter orent, ac collaborent. Conabimur etiam quendam, linguæ sacræ peritum, cum in finem constituere, cujus instructiones in religione Christiana statis temporibus audire teneantur. Quomodo vero se in sua conversatione aliasque habere debeant, juxta sacrosanctos canones, constitutiones Imperii, & observantias aliorum locorum, ipsi propediem regulas præscribemus.

### DECRETVM IX.

#### *De institutione & administratione Sacramentorum.*

**Q**vando facti venit plenitudo temporis, misit Deus suum Unigenitum, ex Maria Virgine, assumpta mortalitatis nostræ substantia, Mediatorem Dei ac hominum, hominem factum, ut nec corruptibilibus auro & argento, sed sui ipsius Agni incontaminati & immaculati pretioso sanguine, perditum redimeret, in ara crucis, genus humanum; quod & voluntarie obediens Deo Patri usque ad mortem, mortem etiam Crucis, peregit effusione non modicâ sanguinis; quæ tamen, propter unionem ad Verbum, pro redemptione generis humani sufficiens fuisset; sed nimia & tanta effusione sanguinis præstitit, ut, à planta pedis usque ad verticem capitis, sanitas in eo non sit inventa. Hinc inestimabilis Ecclesiæ thesaurus, ex hoc tam nobili fonte septem novæ legis Sacramenta à Christo Domino, sanctorum Apostolorum & Patrum traditione, prohibentur esse instituta, & sua noiscuntur habere principia; videlicet, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo, & Matrimonium.

Quæ quia nec aliter, nec alio modo, rite & legitime perficiuntur, aut facta tenent, quam adhibitis rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: hinc Parochi cauta ratione dispiciant, ut materias, non dubias sed certas, easque, quantum fieri potest, juxta cæremônias Ecclesiæ, consecratas, quando materia talis Sacramenti ab Ecclesia ex instituto consecranda est, adhibeant, intentionem debitam adjungant, ac formas tractim, reverenter, & integre, sine additione aut mutatione alicujus, pronuncient; cum à mutatione accidentali ad substantiam;

1 Tim. 2. v. 5.  
1 Petr. 1. v. 18. 19.

1 sai. 1. v. 10.

Cont. Herent. in Decr. ad Armenos. Trid. sess. 7. can. 1.

substantialem formæ mutationem facillime transeat.

Quæ omnia & singula ut tutiori & securiori via perficiantur, volumus invigilare Parochos, ut, intra mensis spatium, in sua Ecclesia habeant, & utantur Rituali sive Cæremoniali Romano, aut alio Nostra autoritate approbato. Hortamur autem eos, ut sint fideles dispensatores mysteriorum Dei, & ne ullum, nisi suffragante capaci doctrina & probitate, tanquam dignum, admittant.

Probent etiam se ipsos, & non nisi prævia Sacramenti confessione vel contritione, si se gravatos in conscientia sentiant, ad Sacramentorum administrationem accedant, ac, si necessitate urgente id facere debuerint, quamprimum confiteantur.

Ante omnia autem curiosâ sollicitudine colaborent, ne vita & moribus damnatis fidelem populum ab usu Sacramentorum retardent; memores ultricis Dei iustitiæ in filios Heli, qui populum suis facinoribus à sacrificiis revocabant, & iusto Dei iudicio absumpti sunt.

Nam, etsi quidem divina mysteria, non merito consecrantis, sed verbo perficiantur Creatoris & virtute Spiritus sancti, multi sæcularium tamen hominum, cum plus Sacerdotum vitam quam suam discutiunt, in magnum contemptum divinatorum Sacramentorum crimen incurrunt, judicantes hæc minus sanctificata, si illorum fiant officio, quorum vita, eorum oculis, videtur ignobilis.

In Sacramentorum administratione, ne vel irreverentiam, vel avaritiæ & Simoniacæ notam incurrant, de mandato Nostro non nisi superpelliceo & stola ut minimum amicti, ad ministerium accedant; ac, eo peracto, præter id quod sponte offertur, aut alias secundum laudabilem consuetudinem debetur, non accipient.

Id etiam, quod, ex Decreto sacri Concilii, Pastorum curæ demandatum est, videlicet ut de Sacramentorum natura, usu, & salutari effectu, fidelem populum docilem faciant, vehementer cupimus; ac, ut in eo publice ac privatim, ac quoties necessarium & opportunum videbitur, diligenter collaborent, præcipiendo mandamus.

DECRETVM X.

De Sacramento Baptismi.

Verbum caro factum, IESUS CHRISTUS, nostræ reparationis causa primaria, Sacramentum fidei, nempe Baptismum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, in aqua naturali conferendum, nostræ iustitiæ januam instituit. Quæ aqua naturalis, ex Ecclesiæ traditione, Oleo & Chrismate consecranda, ac diligenti curâ clausâ custodienda est, nec ulli, quam Pastori, vel à se demanda-

to, custodiæ ejus committenda, vel accessus concedendus.

Ad baptizandum infantem Parochus, vel Sacerdos, nullo alio Chrismate, quam eo anno consecrato, utatur. quo deficiente, si tempus non patitur ut aliunde haberi possit, cautione canonica præscripta oleum non consecratum, in minori quantitate guttatim superinfusum consecrato & mixtum, adhibendum erit.

In executione autem vel administratione ministerii, attentâ diligentia, Parochi Sacerdotesve curam habeant, ne leviuscule solum, maxime adultum, aspergant aqua, crines capitis tantum & non cutem tangendo; quia illa, pars corporis humani nequaquam, sed excrementa dumtaxat sunt. Et quia, in regeneratione novæ creaturæ, lege Evangelica cautum, non nisi ex aqua & Spiritu sancto renatum intrare posse in regnum caelorum, ne parvuli, quorum incerta & tenera valetudo est, de salute periclitentur, summa adhibenda erit discretio & cautela, ne ultra dies octo, extra necessitatis casum, sacri fluminis unda differatur; idque sub gravi Nostra arbitraria pena.

Cujus quidem Sacramenti administratio in necessitatis casu, etsi personarum privilegio restricta non sit, nisi in concurrentia sexus aut status; tamen extra mortis articulum omnibus omnino est interdicta, & non nisi per Parochum, aut Sacerdotem qui loco Parochi est, & in Ecclesia debitis cæremoniis cum aqua naturali adhibitis, sub forma quæ est, *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, est exercenda.

Vtque obstetrices, ipso necessitatis casu urgente baptizantes, errorem nullatenus admittant, diligenter admonemus Vicarium, quatenus ipse in urbe, Pastores vero ruri, in obstetricibus designandis diligentem adhibeant curam, neque ullo modo assumant inhonestas, ac immaturas, aut de ullo crimine, veneficio maxime, diffamatas; quas etiam obstetrices omnes & singulas in his scriptis reddimus inhabiles ad officium suum, nisi mense elapso per Nos Nostrumque Vicarium ad hoc specialiter fuerint approbatae & privilegiatae.

Cujus feminae, cum approbata ac privilegiata fuerit, curam esse volumus, ac de eo eandem in approbatione certiore reddi, ut, quoad fieri potest, Sacramentum, non nisi duabus mulieribus testibus, cumque matre baptizati presentibus, formam & materiam debitam adhiberi videntibus & intelligentibus, administret.

In baptismo autem Compater non fit, qui sacro Chrismate necdum confirmatus, vel quatuordecim annis ætate minor sit. qua de re ut Parochi studiose inquirent, monemus. de Commatibus par sit cautio. Vtrumque autem sexum per Parochos ex suggestu, & alias, si usu venerit, diligenter admoneri volumus, ut non solum instruant Compates Commatresve,

Ioan. 3.  
v. 5.

1 Reg.  
2. v. 27.  
Ez. 9.

Matt. 28.  
v. 19.



trève, quàm simplici amictu infans ad Baptifinum deferendus fit, fed etiam, quàm religiofa in Deum pietate, quàm humili fpiritu, & quanta veftitus moderatione, adelfe debeant, operibus Satanæ renunciaturi.

Iudæus, baptizatus, non nifi quadraginta dierum abftinentia peracta, ex decreto Canonis, admittatur; nifi Noſtra remiffione, moderatione aut commutatione prævia.

Qui etiam, fi, baptizatus, rurfum blaſphemando Chriſtum, ac Iudaifmum redierit, ut ad fidem Chriſtianam, fuſceptam ſemel, de novo revertatur, Noſtri Vicarii eum cogat ſevera animadverſio.

Rebaptizationes etiam anathematizamus, ac, damnabili ſpe lucri factas, vehementer & ſevera animadverſione puniendas decernimus.

In concurrentia maris & fœminæ ad baptifinum, hunc ordinem obſervari volumus, ut, neceſſitate ceſſante, mari primò, dein fœminæ, miniſtretur. Cujus rei par eſto judicium, ſi plures, partim mares, partim fœminæ, offerantur.

Infantes autem expòſitos, & de quorum baptifino dubium, monemus & volumus baptizari ſub hac conditione, & verborum forma: *Si tu es baptizatus, ego te iterum non baptizo; & ſi nov es baptizatus, ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.*

Ea etiam, quæ in Concilio Tridentino de Patrino uno, vel una, vel ad ſummum uno & una, ſalubriter pro bono publico conſtituta ſunt, ſtrictè obſervari volumus; ſicut & illud, ut Patrinatorum nomine in libro, ad hoc ſpecialiter deputato, & baptizantis; ſi forte ante, periculi cauſa, à Laico baptizatus fuerit, à Parochis deſcribantur & annotentur; ne, ſi quæſtuoſus ſtatus, aut impedimenti, aliquando incidat, probatio aut cognitio reddatur difficilis.

Ne, ſine licentia proprii Paſtoris, proles extra Parochiam baptizetur, ſicut nec facile eandem licentiam decernat, ſtrictè inhibemus & monemus, ac, ſi de licentia hoc nonnunquam factum, de collato baptifino, ſcripto teſtimonio Paſtoris, fides doceatur annotatione in Paſtoralem librum relata.

Monachi, & regulares perſonæ quæcunque utriuſque ſexus, de baptifino aliquem ſuſcipere; aut pro aliis ſpondere, prohibentur.

Similiter hæretici excommunicati, & qui, juſto impedimento ceſſante, eo anno peccata ſua confeſſi non ſunt; ſiquidem inconſuetudinem eſt, tanquam comminiſtros & teſtes illos aſſiſtere Sacramentis, qui vel de illis male ſentiunt, vel quos Eccleſia à divinis arcet, vel qui ſeipſos à comunione & unitate Catholica ſegregarunt.

Puerperas, ſecundum antiquam & religioſam conſuetudinem, puerperii & purgationis tempore completo, ad Eccleſiam, in primo

egreſſu, pro benedictione Sacerdotali, & gratiarum actione Deo habenda, comparere volumus.

## DECRETVM XI.

### De Sacramento Confirmationis.

**A**Dverſus mundi & tenebrarum inſidias, Confirmationis Sacramentum tutiſſimum creditur munimentum; quod, per impoſitionem manus Epifcoporum, ab omnibus fidelibus recipiendum eſt, ut pleni Chriſtiani inveniantur.

Cùm hoc Sacramentum adminiſtrandum erit, præcedat Paſtorum denunciatio, ut fideles, ad gratiam Spiritus ſancti recipiendam, digne ſe præparare & comparere poſſint. Cui miniſtratur, ſeptennio minor ille non fit; nifi Epifcopo, ex probabili cauſa, aliquando aliter viſum fuerit; ac tunc per parentes aut in quorum poteſtate ſunt Confirmati, ſuo tempore de recepto & non iterando Sacramento certiorentur.

Adulti, prævia confeſſione, jejuni ad recipiendum Sacramentum hoc accedant, maxime cum mane miniſtratur. mares in Eccleſia à parte una, fœminæ ab altera ſint; & manibus ante pectus junctis, ſuo quiſque ordine veniant, mares primo, deinde fœminæ.

Ne fœminis mares, nec maribus fœminæ, nec ſenioribus adoleſcentes (cum minime hoc per ætatem conveniat.) Compares in Sacramento Confirmationis adhibeantur, niſi neceſſitate id aliter poſtulante.

Pari ratione, neceſſitate ceſſante, ſecundum Canonum præſcriptam formam, ſit etiam alius vel alia ab illo vel illa, qui vel quæ in baptifino confirmandum ſuſcepit.

Ac ipſe Epifcopus, ſi, confirmandum invenit baptizatum Chriſtiano homini parum conveniente nomine, ut illud mutet, Sancti alicujus nomine commutato, volumus. Cui etiam cætera, quæ ad dignitatem & executionem hujus Sacramenti ſpectant, unice commendamus.

## DECRETVM XII.

### De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

**L**Egillator noſter Ieſus Chriſtus, volens ſegregare ac præparare plebem æterno Patri perfectam, regale Sacerdotium inſtituit. Ieſus enim aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum, non manu factum, neque in ſanguine taurorum & vitulorum, ſed proprio ſanguine, introivit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa; utque perennis victima illa viveret in memoria, & ſemper præſens eſſet in gratia

gratia, vere unica & perfecta hostia, fide æstimanda, non specie nec exteriori censenda ritu sed interiori affectu; hoc cruentum sacrificium, tanquam in imagine, signavit in incruento sacrificio: Sacerdos enim Iesus Dominus, secundum ordinem Melchisedech, panem & vinum obtulit, convertens in Corpus & Sanguinem sub specie panis & vini, priusquam in ara Crucis immolaretur; ac solis Sacerdotibus idem facere præcepit, dicens: Hoc facite in meam commemorationem.

Lucæ 22.  
v. 19.

Hinc, ne quis putet, hæretica pravitate fasciatus, hoc præceptum ad omnes esse promulgatum, ut omnes & singuli sub specie utraque communicare teneantur, quasi sub una totus Christus non contineretur; serio monemus Pastores & Concionatores quoscunque, ut, sacri Concilii Tridentini vestigiis insistentes, omnibus utriusque sexus notum faciant, sub utraque specie panis & vini totum Corpus & Sanguinem, sub specie quidem panis, Corpus ex vi verborum, & Sanguinem concomitanter, sub specie autem vini, Sanguinem ex vi verborum, & Corpus concomitanter, vere, realiter, substantialiterque contineri, ac proinde in alterutra specie compleri præceptum de manducanda Christi Carne, & bibendo ejus Sanguine. Diligenter etiam Pastores, & sub severa Nostra animadversione, invigilent, ne in hoc quicquam, moribus Ecclesiæ contrarium, committant aut doceant.

Sess. 13.  
can. 3.  
Sess. 21.  
cap. 1. &  
seq. &  
can. 1. &  
seq.

Porro, Sacerdotum nemo, nullo etiam casu ac necessitate, hoc tremendum ac salutare sacrificium, propitiatorium pro omnibus vivis & defunctis, in unica tantum specie immolare præsumat, sed, vel non offerat vel utramque speciem consecret.

Ante omnia autem curiosa sollicitudine ipsi dispiciant, ne in ipsa sacrificii oblatione vel consecratione errorem ullum committant. Cum enim omne crimen atque peccatum, oblati Deo sacrificii, deleatur, quid de cætero delictorum expiationi dabitur, quando in ipsa sacrificii oblatione erratur?

Quapropter quilibet sine differentia & discretione Sacerdos, maxime vero primam Missam celebraturus, non nisi in ritibus & tota ratione celebrandi juxta Romanum ritum sufficienter instructus, ad hoc tremendum mysterium peragendum accedere præsumat.

Celebrantibus, semper minister adsit, qui inserviat & respondeat, ac semper, si fieri potest, superpelliceo indutus, moribus compositis; qui ab altari non nisi peracto Sacro recedat.

Missæ, nec nimis tarde nec nimis festinanter, nec memoriter sed ex Missali, legantur; ac omnes peregrini & indecori gestus ab altari sint procul; cum clara enuntiatione eorum, quæ, ex instituto, clariori voce exprimenda sunt.

Nunquam sine aqua vel lumine, vel in pane fermentato, aut vase ligneo, & in paramentis benedictis dumtaxat ac nullo modo prophanis, celebrandum; & secundum ipsam consuetudinem generalis Ecclesiæ, in sacrificio plus de vino quam de aqua utendum erit.

Summa etiam discretione cavendum, ne inadvertentiâ aut negligentia Sacerdos aut Presbyter de Christi Sanguine super altare vel lintheum aliquid stillare faciat; observata forma & diligentia Canonis præscripta, si casus inopinatus evenerit; videlicet ut, quæ tetigerit stilla, tribus vicibus Minister abluat, calice supposito; & quæ notantur cætera allegato Canone.

Gravi etiam animadversione cohibeantur, qui, timore Domini postposito, eò irreverentiâ devenerint, ut hoc tremendum mysterium non jejuni aggrediantur. Et, quia non modica res est, unam Missam in die celebrare, ut valde celebris sit qui unam digne celebret; ne quis ad alteram ullo modo eadem die accedat, nisi necessitate urgente, prohibemus, quæ tamen necessitas, non pro cuiuslibet arbitrio censenda, sed à Nobis aut à Nostro Vicario judicanda, & scripto concedenda erit.

Pro pecuniis autem, & favore humano, temeraria præsumptione duas Missas eadem die celebrantes, ab officio suspendantur, ac non nisi condignâ poenitentia peractâ restituantur.

Quæ de Missæ officio secundum Concilium Tridentinum & Canonicas sanctiones in privatis Oratoriis seu ædibus, aut ara portatili, non dicendo, ordinata sunt, innovamus.

Sess. 22.  
Decr. de  
obf. in ce-  
leb. Missæ.

Ac, ne in privatis locis, sine Nostra speciali aut Vicarii Nostri in scripto obtenta licentia, dicantur, districte inhibemus.

Exulet ab altari omnis immunditia; Corporalia sint honesta & munda; Albæ & Casulæ decentes, integræ, nec laceræ, alioqui, pro modo negligentia & culpa, sit poena.

Harum autem rerum usus, & sacra Ecclesiæ Romanæ ritus, quia nescientibus stultitiæ sunt; omnes hortamur Pastores in Domino, ut publice & palam ex suggestu has cæremonias populo explicant, finem earum edoceant, ac fructus proponant.

Circa frequentiam Sacrificii, Sacerdotibus lex esto, ut qualibet septimana quilibet, ut minimum ter, digne celebret. Qui enim indigne celebrat, iudicium sibi manducat, non iudicans Corpus Domini. Et, qui scelerate vivunt in Ecclesia, & communicare non desinant, putantes, se tali communione mundari, ad mundationem sibi non proficiunt sed offi-  
ciunt, attestante idipsum Propheta in verbis: Quid est, quod dilectus meus fecit in domo meâ scelera multa? nunquid carnes sanctæ auferent malitias suas?

I Cor.  
II. v. 29.

Ier. II.  
v. 15.

Diaconi & Subdiaconi in singulos menses  
X bis,

bis, cæteri autem Clerici semel ut minimum ad sacram Communionem accedant; ut fiant participes omnium bonorum, timentium Dominum & custodientium mandata ejus.

In feria autem quinta Cœnæ Domini, omnes & singuli Clerici, etiam in Cathedrali Collegiatave Ecclesia dignitatem vel Canonicatum obtinentes, etiam si ordinis Sacerdotalis sint, in solemnibus sacrificio Missæ, quod illo die in illa Ecclesia celebrabitur, Communionem ex manibus celebrantis fumant, illis dumtaxat exceptis, qui alio in loco, eo die, ad celebrandum obligati existunt.

*Trid. sess. 22. Decr. de obs. in celebr. Missæ.* Vagos autem & ignotos Sacerdotes in Nostra Diœcesi, ex Decreto S. Concilii Tridentini, Missas celebrare nolumus, nisi Nostra vel Vicarii Nostri inquisitione & admissione prævia, & Ordinationum literis exhibitis, quos etiam in consortio Presbyterorum Nostrorum, ultra mensis spacium, tolerari prohibemus, nisi testimonialibus proprii Ordinarii, à cujus Diœcesi discesserunt, visis.

Quod ad fidelem populum & debitam Communionis frequentiam attinet, ex voto sacri Concilii optamus, eundem in singulis Missis, non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione, communicare, aut saltem ad sumendum Christi Corpus celebrioribus festis, adduci, ac per Parochos verbo & exemplo ad id invitari.

*Trid. sess. 13. can. 9.* In sua autem Ecclesia, sacro Paschatis festo, quemlibet Parochianum ad communionem accipiendam obligatum esse, generalis Ecclesiæ præceptum est; ac Nos, ne ullus alia in Ecclesia quam propria, sine causa à Nobis vel à Nostro Vicario, vel Parocho, approbata, eandem prædicto festo recipere præsumat, inhibemus; ac contumaciter Ecclesiam ingressum, Ecclesiasticam sepulturam interdictum in Parochiali Ecclesia denuntiari faciemus, nomine descripto & ad Cathedralis ac Parochialis Ecclesiæ valvas affixo. qui si in contumacia sua perseveraverit, in eum præterea, prout juris est, animadvertemus.

Ad audiendum autem Sacrum, omnes & singuli, Dominicis & Festis diebus, sub peccati mortalis reatu, obligati sunt; ac, ne familia per suos dominos eo die ad audiendum impediatur, sedulo moneantur.

Neve propter Sacerdotum incuriam divina excandescat gravius indignatio, mandando præcipimus, sacrosanctam Eucharistiam in loco singulari, mundo, bene signato, semper honorifice esse collocandam & custodiendam; Hostiæ salutari, tam in publica via, quam inter Missarum solemnibus, reverenter inclinando in genua, honorem debitum exhibendum; sicut &, superimposito mundo velamine, honorifice ante pectus, cum omni reverentia & timore, lumine semper præcedente, ad infirmum esse ferendam, & reducendam.

Curetur vero diligenter, ut in administratione hujus Sacramenti, sicut & Extremæ unctionis, cubiculum expurgatum decenterque sit compositum, ac mensa aliqua, linteo mundo instructa, nec non cruce, luminaribus, vasculo aquæ benedictæ, instructa inveniat, in quo venerabile Sacramentum poni possit, substrato Corporali.

Ægrotum autem Parochus ita constitutum inveniens ac vi morbi affectum, ut pro eo tempore Sacramentum ei rite ministrari non possit, prævia oratione & benedictione, si id infirmus petat, ostendat Sacramentum adorandum.

## DECRETVM XIII.

*De Sacramento Pœnitentiæ, & casibus reservatis.*

**M**ultiplex misericordia Dei, ita lapsis subvenit hominibus, ut non solum per Baptismi gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam, spes vitæ reparetur æternæ, potestate à mediatore Dei & hominum, Iesu Christo, tradita Sacerdotibus, quando, insufflando in discipulos, dixit: Accipite Spiritum sanctum; quorum remisistis peccata, remittuntur, &, quorum retinueritis, retenta sunt. Quibus verbis tam perspicuis potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles, post baptismum lapsos, Apostolis & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit.

Sacramenti autem hujus forma est: *Ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis.* Quibus quidem verbis etiam, usu laudabili Ecclesiæ, preces aliæ adjunguntur, nec tamen ad formæ essentiam spectant, neque ad ipsam Sacramenti administrationem necessariæ sunt, ut Pœnitentiæ actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio; contritio in corde, confessio in ore, & satisfactio in opere.

Confessio, post Baptismum, ad salutem ita est necessaria, sicut nondum regeneratis Baptismus ipse. Quæ integra faciendâ est, adjunctis omnibus circumstantiis quæ speciem peccati mutant, cum expressione qualitatis criminis, in loco, in tempore, in perseverantia, in varietate personæ, & quali hoc intentione fecerit, & in ipsius vitii multiplice executione ac modo. De quibus omnibus pœnitentes instruere, adhortamur Parochos, ac eos etiam in ipsa confessione, tam cauta discretione interrogando, adjuvare si opus est, ut peccata non doceant sed inquirere cognoscantur.

Pari discretione invigilant circa salutarium pœnitentiæ injunctionem; cum Sacerdotum & Parochorum officium sit, secundum suggestionem spiritus & prudentiam, convenientes satisfactiones injungere.

Cura-

*Joan. 20. v. 22. Mat. 16. v. 19. Trid. sess. 14. c. 1. 6. Ibid. can. 1. & seqq.*

*Trid. sess. 14. can. 4.*

Curatorum nemo mulieres, nisi ex causa necessaria, ante solis ortum, vel post ejus occasum, & non alibi quam publice in Ecclesia, in sedibus, in quibus tabella inter Confessorem & pœnitentem interjecta sit, audiat.

Id etiam, quod ad majorem hujus Sacramenti reverentiam spectat, ut nunquam Curatus sine superpelliceo & stola confessionem excipiat, vehementer cupimus.

Sicut & ipsum fidelem populum per Parochos sapius edoceri, qua pietate, qua frequentia, & cum quanta præparatione, in spiritu humilitatis & animo contrito, ad confessionem accedere debeat.

Instruant etiam suæ curæ commissos, ne unquam rem arduam & difficilem, maximè cum mortis periculo conjunctam, sine prævia confessione aggrediantur; quò, tanto Sacramento corroborati, spe erectiori fiant, rei bene ferendæ.

Et, cum inanis pœnitentia sit, quam sapius culpa coinquinat, & vulnus iteratum sanetur tardius, sitque canis reversus ad vomitum, pœnitens ad peccatum: hinc pœnitentes moneantur sedulo, ut de cætero non solum à vitiis abstineant, sed etiam virtutes, Christianæque vitæ officia, opera, & actiones, cum Christiani nominis splendore congruentes, suscipiant ac præstent, majoresque in via Domini progressus in singulos dies adhibeant.

Curati, diligenter invigilent, ne extra mortis periculum eos absolvant, quibus facultas est aliena restituendi, vel legata, ad pias causas facta, persolvendi; sicuti nec eum qui in judicio falsum testimonium in detrimentum tertii dedit; nisi prius, dato damno, quatenus id faciri poterit, & violatæ existimationi satisfecerint.

Debita etiam diligentia conscientiam examinent singulorum, qui fœnerantur & iniquos contractus exercent; ac in his casibus, non nisi prævia restitutione aut satisfactione, neve aliter quam ex præscripto Canonum, absolvant.

Casus, summo Pontifici & Nobis quavis ratione reservatos, probe sciant, ne quid, per incuriam, indebitæ facultatis sibi assumant.

In confessionibus excipiendis, animadvertant, ne minimam quidem avaritiæ de se suspicionem præbeant. Adeoque pœnitentia pecuniaria imposita, ne erogationem istius sibi ascribant, potius in pietatis opera distribuatur, ipsi curent.

Imprimis autem & ante omnia, sub Nostra severa indignatione & animadversione mandamus, ne ullus Sacerdos, sive sæcularis sive regularis, confessiones quorumcunque audire præsumat, nisi, examine prævio, à Nobis aut Nostro Vicario generali, in scriptis approbatus fuerit; mortis dumtaxat casu excepto.

Confessionis sigillum tutissimam & strictissimam habeatur in custodia; ita ut ne quidem verbo, signo, nutu, aut alio quovis modo, peccatum etiam veniale levissimum confitentis prodatur; sub pœnis in Canonibus comprehensis; memores semper istius dicti sancti Augustini: Nihil minus scio, quam quod ex confessione scio.

Insuper, quia nonnulla sunt quæ autoritati & eminentiæ Pontificali, nonnulla, & sane quamplurima, quæ, de jure, Episcopali sollicitudini reservata sunt ac aliàs de facto reservata Nobis volumus; ad Confessariorum notitiam de jure magis pervia ac ipso facto Nobis reservata subjecimus.

*Trident. sess. 14. can. 11.*

*Casus Clericorum, Nobis reservati.*

**F**ornicatio cum filia spirituali, sive Confessionis.

Concubinatus publicus.

Confessionis revelatio.

Furtiva susceptio sacrorum Ordinum sine debita licentia & dimissorialibus ab alieno Episcopo; aut cum notatus censuris quispiam Ordinem suscipit, aut sine Ordinibus celebrat, ministratve.

*Casus Laicorum, reservati Nobis.*

**M**atrimonium, contractum cum alia, conjuge adhuc vivente, scienter aut clandestine, non servata forma Concilii Tridentini.

*Conc. Trid. sess. 24. cap. 1.*

Machinatio in mortem conjugis, morte secuta.

*Casus Clericorum & Laicorum communes, reservati Nobis.*

**H**omicidium voluntarium, facto, præcepto, consilio, vel consensu deliberato, commissum.

Sacrilegium in re, vel in persona.

Incestus cum consanguineis & affinibus, in *Ibid. c. 4.* gradu, à Concilio Tridentino definito.

Adulterium.

Raptus.

Procuratio abortus vel sterilitatis.

Incendium Ecclesiarum, domorum, aut segetum, malitiosè factum.

Pollutio Ecclesiæ, Cœmeterii, sanguinis vel feminis effusione.

Violatio libertatis & immunitatis Ecclesiasticæ.

Item veneficium, sortilegium, divinatio, incantatio, cum pacto dæmonis expresso vel implicito; & abusus Sacramentorum & sacrarum rerum ad superstitiones & artes magicas.

Ab his casibus, si quis Confessarius cujusvis Ordinis, sine facultate, scripto à Nobis

X 2 data,

data, aliquem absolvere attentarit, excommunicationis pœnam ipso facto subeat. Alias, in casibus, sanctæ Sedi Apostolicæ reservatis, occultis tamen dumtaxat, auctoritate & decreto S. Tridentini Concilii, Nos & Vicarius Noster absolvemus, & dispensabimus.

Finaliter, confessionis frequentiam quod attinet, ea sub pari lege contineatur, qua Eucharistiæ; ac sub iisdem decretis, quæ continentur titulo præcedenti.

#### DECRETVM XIV.

##### *De Sacramento Extremæ unctiōnis.*

**V**NIVERSALI, Ecclesiæ, Apostolorum, & sanctorum Patrum, traditione, ex divi Iacobi Apostoli sententia, sacra Extrema unctio semper habita est Sacramentum vere ac proprie dictum, quo, migraturus ex hac vita, Oleo salutis, & fidei oratione, augetur robur contra hostes invisibiles.

Cujus Sacramenti vim & utilitatem, tam ad animæ salutem, quam ad corporis valetudinem, ex Catechismi Romani doctrina ut populo, & maxime ac semper ægro, Parochus ostendat & manifestet, monemus.

Pro reverentia Sacramenti, volumus, ut semper id, stola & superpelliceo indutus, administret, & non alius Sacerdos, quam Parochus, aut ab eo substitutus. Caveat is vero, ne, in eo ministrando, negligentiam ullam aut moræ culpam admittat; alioqui Nostra animadversioe punietur.

Quoad fieri potest, ægroto, dum integris adhuc sensibus est, ministret.

Et, sicut ministrare debet adultis, periculose ægrotantibus, propeque moribundis, senio confectis, etiam non ægrotis in diem morituris; ita è contrario, ministrare non debet pueris, rationis usu carentibus, mulieribus in partu laborantibus, ad bellum proficiscentibus, navigantibus, peregrinantibus, & mox ultimo supplicio afficiendis.

Sacramento ministrato, dum æger sensuum usum non amisit, studeat, eum brevibus, suavis & ardentibus verbis ad spem de divina misericordia concipiendam adhortari; ac, cum prope moribundus est, non desistat, in illius animæ commendatione, cum pietate, stas, religiosas, sanctasque preces recitare.

Si per errorem alio Oleo, quam quod infirmorum est, ad ægrotum unguendum usus fuerit, etiam si Chrisimatis aut Catechumenorum sit, ut errata emendet, Olei facti, quod proprie infirmorum est, readhibeat unctiōnem, ac Sacramenti formam iteret, monemus.

Ac, si contigerit, ægrum, dum sacro Oleo inungitur, extremum spiritum emittere, Parochus ungere desistat. &, si morbi vis de re-

pente illum oppressit, ita ut dubitetur, vivus an mortuus sit, hac conditione in unguendo utatur: *Si es vivus, per istam sanctam Unctiōnem &c.*

Eximatur quoque erronea illa, ac perniciofa imaginatio è mentibus fidelium, qua, se citius morituros, putant, si inungantur: ac, ne hac opinione, vel negligentia, Unctiōnis Sacramentum impediatur aut differatur, diligenti cura Pastores invigilent, &, spontanea visitatione infirmorum, malo huic obviare studeant. Medici etiam, post triduum infirmitatis, ab omni cura infirmorum abstineant, & non aliter ad medelam se intromittant, nisi constito, quod infirmi ad minus confessi & communicati fuerint.

#### DECRETVM XV.

##### *De Sacramento Ordinis.*

**I**N novo Testamento, post Christum Dominum, à Petro Sacerdotalis coepit ordo; ac, ipso & cæteris Apostolis, eadem ac pari privilegio honoratis, decedentibus, ministerium ipsum Episcoporum ac Sacerdotum, legitima interveniente consecratione, continuatum est perpetua successione; habita semper diligenti & accurata in ordinandorum ætatem, vitam, & mores, inquisitione.

Ac ne, quod absit & indecorum nimis est, sanctum Sacerdotium, ac ipsa sacra, irreverenter administrare invenirentur, qui ignorent se ipsos gubernare circa ordinandos ac eorum ingressum; sacris Conciliis & Canonibus, diligenti cura, plurima salubriter constituta sunt, quæ nos innovando subjecimus, ac strictè observanda esse præcipimus.

In collatione primæ Tonsturæ, initiandus edoceat ac fidem Episcopo faciat, se legitimo matrimonio natum, aut, ob natalium impedimentum, secum dispensatum; origine, domicilio decennali, vel alia quavis legitima ratione Diocesana; aut à suo Episcopo dimissum; sacri fluminis unda renatum; unctiōne Chrisimatis confirmatum, ac septennio majorem; insuper de vita & moribus, Parochi ac Magistri testimonio; sicut & de spe, se in Clericali Ordinis dignitate permanurum.

Post primam Tonsturam initiandus generaliter majori minorive Ordine, ad eundem non admittatur, quin, præter præscripta, fidem imprimis Episcopo faciat; de prima Tonstura, aut Ordine proxime suscepto; de habitu Clericali, secundum modum in Provincialibus ac Synodalibus decretis præscriptum, post Ordinem proximum à se continue gestato; de confessione & communione frequenti. Alias, Subdiaconatum aliumve sacrum Ordinem suscepturus, præter prædicta, fidem faciat, denunciationem de se, secundum normam & formam

Iacobi 5.  
v. 14.

I ad Tim.  
4

Trid. sess.  
23. c. 4.  
& 5.

*Ibidem*  
*cap. 12.*

formam à sacro Tridentino præscriptam, præcessisse, & , si ad Subdiaconatum promovendus, annos viginti duos, si ad Diaconatum, viginti tres, & , si ad sacri Presbyterii Ordinem, viginti quinque, attigisse.

Pari lege contineantur Regulares, privilegiis quibuscunque quoad hoc penitus exclusis.

Faciatur etiam fides secularis Clericus, se beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestum sufficiat, pacifice possidere, cujus beneficii resignatio, subsequenter facta, non teneat, postquam accepit in titulum, quando mentio in supplicâ facta, quod ad illius beneficii titulum promotus existat; neque aliter, quam confitendo quod sine illo beneficio vivere aliunde possit, ejusmodi resignatio admittatur. Sub patrimonii verò vel pensionis titulis ordinetur nemo, nisi, pro Nostra necessitate, vel Ecclesiarum Nostrarum commoditate, eum ordinandum esse, à Nobis iudicatum, ac pensionem aut patrimonium ad competentiam sufficere existimatum fuerit.

Sicque Ordinatis, omnibus modis, inhibendum est, ne, sine speciali licentia Nostra, ejusmodi pensionem aut patrimonium alienent, aggravent, extinguant, vel remittant, nisi plene coram Nobis probatum existat, se aliunde beneficium Ecclesiasticum sufficiens adeptos, possidere, aut aliunde vivere posse. Quo casu, Nostra interveniente licentiâ, titulum alienare, aggravare, aut remittere, illis licitum est.

Adhibeatur etiam cautio, ne ullus ad superioris Ordinis gradum suscipiendum admittatur, nisi confitendo, quod in prioribus Ordinibus probatus & versatus extiterit. Temporum etiam interstitia, à S. Concilio præscripta, accuratè observentur; nisi Nostra iudicio aliter faciendum esse visum fuerit, ac nisi, dispensatum de hoc speciatim in literis dimissorialibus testimonialibusve, testetur.

Ex decreto summi Pontificis Pii Quinti, nullus Regularium, Ordinibus sacris adscribatur, nisi exhibitio Superioris testimonio, se in religione sua professum, ac juramento ac scripto comprobet, se professionem fecisse, ac ratam habuisse. Clerico etiam extraneo, ac alienæ Diocesis, ne ullus Ordo ac nec prima Tonsura conferatur, nisi literis dimissorialibus à suo Ordinario obtentis, & exhibitis.

Ac Nostræ Diocesis absenti Clerico non nisi ad Nos, vel coram Vicario Nostra, evocato & examinato, literas dimissorias petenti, concedantur; aut ut minimum examen speciatim Episcopo, in cujus Diocesi moratur, delegetur; nec, nisi reproductis literis Episcopi, de examine fides facieatis, concedantur.

Primam Tonsuram, & minores Ordines, nequaquam recipiant seculares Clerici ab Abbatibus, baculi & mitræ jure utentibus, ac

statis benedictionibus consecratis, nisi Nostra speciali in scriptis interveniente consensu. Si quis verò Clericus secularis, post præsentium publicationem, hoc fecerit, ei denegetur cujuscunque beneficii Ecclesiastici possessio; ac, si, cum sub & obreptione, data fuerit, nullo modo suffragabitur.

Nullus, sive Sæcularium sive Regularium, sine diligenti examine, ad Ordines promoveatur. Examinentur autem ab Episcopo, vel, eo impedito, ab ejus Vicario generali, atque aliis examinatoribus, non paucioribus quam tribus, à Nobis vel Nostra Vicario ad id assumptis.

Habeatur autem in iis, præter debitam diligentiam in doctrina, vita, & moribus, diligens cura impedimentorum, sacris Canonibus & Conciliis definitorum; videlicet, si in aliquo crimine delicti, si infamiae notâ aspersi, si scelera aliqua per publicam poenitentiam se admisisse confessi, Apostatae, si in hæresin lapsi, si nondum baptizati, si nondum Confirmati, si semetipsos absciderunt, aut naturali defectu membrorum, aut decisione, aliquid minus habere noscuntur, si secundæ uxoris conjunctionem sortiti sunt, si numerosa conjugia frequentaverunt, si viduam vel à marito relictam duxerunt, si corruptarum mariti fuerunt, si fornicarias aut concubinas habuerunt, si servilis conditionis, si ignoti sunt, si inscii literarum, si ebrietati & gulæ dediti, si post susceptum Ordinem lapsi, nec gradatim ad Ordines ascenderunt, si usurarii manifesti, si ratiociniis obligati, si illegitime nati, si quovis alio modo irregulares, suspensi, interdicti, excommunicati, amentes, morbo caduco laborantes, energumeni, non examinati & probati.

Qui contra prædicta vetita Canonum ordinatus fuerit, severe secundum Canonicas poenas puniatur. Sacris autem majoribus Ordinibus initiati, vel in minoribus constituti, sciant, se secundum consuetudinem universalis Ecclesiæ, ad preces horarias quotidie persolvendas, sub poena peccati mortalis, & restitutionis fructuum pro rato temporis quo officium non impleverint, teneri.

DECRETVM XVI.

*De Sacramento Matrimonii.*

Magnum Matrimonii Sacramentum est, cætera loci temporisque amplitudine & mysterii ratione antecellens; siquidem ab orbis primordio in Paradiso à Deo institutum est, quando masculinum & fœminam nuptiali castitate conjunxit; adumbrans unionem inter ejus Filium & Ecclesiam per incarnationis mysterium.

Cujus mysterii ratione, Nostra Episcopalis muneris arbitramur esse, omnibus modis procurare,

curare, ut & thorus immaculatus & honorabile inter omnes ineatur & inveniatur connubium; innovatione eorum, quæ S. Tridentina Synodus, in celebrando matrimonio, ex instinctu Spiritus sancti, salubriter statuit.

Principio itaque, de consilio sacri universalis Synodi, conjuges monemus, & per Parochos sæpius monitos volumus, ut, saltem triduo ante matrimonii consummationem, peccata confiteantur, & ad sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum reverenter accedant. Religiosam enim animi præparationem requirit matrimonii ratio & sanctitas: nec decet, sanctorum filios conjungi sicut gentes, quæ Deum ignorant.

Pastores etiam diligenti studio inquirent, num, contrahere volentibus matrimonium, aliquod impedimentum obstat, cognationis etiam spiritualis, aut affinitatis usque ad gradum, jure Tridentinoque Concilio prohibitum.

Moneant etiam contrahere volentes, de poenâ Excommunicationis latæ sententiæ, & aliis, à jure ultra illatis in eos, qui, in gradu prohibito, scienter contrahere præsumunt, ac, sic contrahentes, omni spe consequendæ dispensationis, ex præscripto sacri Concilii, defuitos esse: contra quos, & Nos, etiam adhibita separationis poenâ, Concilii Viennensis ductu, insurgemus.

Quo examine prævio, ad contrahentium, & eorum, in quorum forte potestate sunt, instantiam, denunciationes debitas, festis illis diebus qui Ecclesiæ præcepto in veneratione sunt, interponant: quas etiam denunciationes, vel quarum unam, sub gravi animadversione, ipsi ne remittant, nisi Nostra, aut Vicarii Nostri, desuper in scriptis obtenta licentia.

Non aliter contrahatur Matrimonium, quàm præsentem Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi aut Ordinarii licentia, duobus vel tribus testibus ad minimum præsentibus; nec, aliter contractum, teneat; & tam contrahentes quam Parochus, qui minori numero testium, etiam testes qui absente Parocho, hujusmodi contractui interfuerint, puniantur.

Partibus reservata facultate, conditionibus necessariis adhibitis de novo celebrandi, si velint, aliàs nullo modo, eo nomine impe-

diantur; verùm unusquisque eorum cum alio libere contrahere permittatur.

Parochus autem, cum contractui de matrimonio contrahendo vel sponsalibus interest, diligenter caveat, ne de præsentem, sed de futuro matrimonio, ille consensus celebretur, verbis ita dilucide conceptis, ut de eorum sensu, quod alias sæpe fieri solet, nulla quæstio vel lis oriatur.

Matrimonio autem, ne ullo alio loco quàm in Ecclesia ipsa, quæ Sacramentorum proprius locus est, sponfos jungat: nec ab Adventu Domini usque in diem Epiphaniæ, & à feriâ quartâ Cinerum usque in Octavam Paschæ, inclusive, ac non nisi post die illius diei qui postremus est temporis interdicti, nuptiæ solemnes celebrentur.

Ignotis, vagis, & peregrinis, matrimonium contrahere volentibus, ne Parochi intersint, nisi diligenti inquisitione prævia, re ad Nos vel Vicarium delata, ac licentia à Nobis vel ab eo obtentâ.

Absentem, de cuius morte non certò constat, alter conjugum expectet septennium; eoque etiam lapso ad alias nuptias ne transeat, quin causâ coram Nobis aut Officiali Nostro cognita, & licentia contrahendi per sententiam obtenta fuerit.

Et, quia Matrimonia quàm maxime debent esse libera, eò quod nuptiæ coactæ, difficiles quandoque solent habere exitus; hinc omnes municipales leges, statuta, decretave, huic Sacramento ac ejus libertati contraria, annullamus, rescindimus, ac plane nulla decernimus ac declaramus.

Ac omnibus, quacunque dignitate potestateque præditis, hac perpetuum valiturâ lege interdiciamus, ne earum legum & statutorum vel decretorum autoritate, aut alia quavis ratione, quicquam statuunt, decernant, jubeant agantve, quo matrimonii libertas ullo pacto, directe vel indirecte, impedita dicatur; sub poenis & censuris Conciliorum & Canonicis, ipso facto incurrendis.

Personæ etiam, de quarum minus liberâ voluntate probabilis est suspicio vel contradictio, Nostri Officialis, maxime in contradictorio judicio, decreto sequestrentur, ac tuto in loco reponantur, & constitâ voluntate liberâ, ad matrimonia voluntaria, nisi impedimentum legitimum obstat, admittantur.

sess. 24.  
cap. I.

Ibidem,  
cap. I.

Trid.  
sess. 24.  
cap. 10.

## P A R S S E C U N D A.

## D E C R E T U M I.

*De Ecclesiastica immunitate.*

**D**etestanda iniquorum perversitas, Laicorum in Clericos inveteratum odium, usurpatio potestatis indebita, quanta in Ecclesiasticam immunitatem, jure divino exemptam, Canonum sanctionibus & Imperatorum legibus privilegiatam, commiserint illicita, longe lateque fama notorium; publica &, in Nostra Diocesi, injuriosa transgressionum evidentia id probat. Volentes igitur, conveniente zelo, jura, quovis modo violata, in integrum restituere, ac reddere intacta; principio innovamus Concilia omnia generalia, Apostolicas & Imperiales sanctiones, ac ea speciatim quæ in Provincialibus Decretis, sub D. Engelberto maxime, & piæ memoriæ Henrico, Archiepiscopis, in favorem Ecclesiasticæ libertatis, & contra ejus violatores, decreta; ac, quicquid in contrarium hactenus, à quavis potestate, quovis quæsito colore aut modo, promulgatum, cessum, datum, actum, factum, cassamus & annullamus, revocamus & restituimus.

Ac, ne de cætero tam iniqua Nostram habeant pulsare audientiam, sub pœnis legalibus, Canonici censuris, aliisque arbitrariis, & gravi Nostra indignatione incurrenda, strictissime mandamus, ne ullus in personas Ecclesiasticas, eorum bona & loca, contra juris Canonici & civilis constitutum, sibi quicquam vendicat, aut Clericum coram sæculari judice conveniat, aut multam & pœnam vel indignum & sordidum ei munus imponat, minus illum captivitate vel vinculis coercere audeat, verum Nobis vel Nostrò Vicario malefactorem Clericum denunciaret.

Animadvertentes etiam, contra juris communis præscriptum ac provinciales sanctiones, domus Canonicales, ac Vicariales, non solum à Laicis, verum & Judæis, Hæreticis, Concubinis, ac eorum spuris, non absque exiguo Ecclesiasticorum dedecore inhabitari: hinc serio ac districtè præcipiendo mandamus, ut intra duorum mensium spacium, quod præfatis omnibus & singulis pro peremptorio termino assignamus, à dictis habitationibus excedant; quasvis etiam elocationes, pactiones, aut contractus quoscunque, hactenus factos, cassamus; ac severe etiam inhibemus, ne ullæ tales impostæ fiant, nisi de speciali Nostra licentia, in scriptis obtenta. Volumus etiam & mandamus, ut infra terminum præmissum, à Nobis constitutum, prædicti incolæ

elocationum contractuumque literas coram Nobis exhibeant, ut, iis lectis & examinatis, Nos, quod jus & æquitas dicitur, aut ratio postulat, statuere possimus.

Quia etiam immunitati Ecclesiasticæ è diametro contrariatur, ædes Laicorum in Cæmeteriis erectas esse; severe prohibemus, ne in posterum ullæ tales habitatioes, quovis quæsito colore aut prætextu, constituantur; si quæ ruinam minantur, nullatenus restaurentur, nisi Nostrò consensu, in scriptis obtento. contrarium attentare præsumens, condigna animadversione puniatur; ac domorum locagium in usum Ecclesiæ cedat.

## D E C R E T U M I I.

*De Testamentorum & Legatorum jure.*

**A**D abolendam pravam corruptelam, & Clericorum temeritatem, qui, in argumentum suæ finalis impœnitentiæ, fructus Præbendarum suarum, annosque gratiæ, Concubinis vel spuris suis legant, rigor Ecclesiasticus debet exerceri. Quare, sub anathematis vinculo, prohibemus, ne Clerici de cætero, annis gratiæ abutentes, de rebus Ecclesiæ, fructus beneficiorum, spuris & concubinis relinquendo, aliquo modo disponant; aliter factum non teneat; &, quod taliter relictum est, Ecclesiæ applicetur; ac ipsi Ecclesiasticæ careant sepulturâ. hoc præfenti constitutionis decreto revocantes & infirmantes, in fraudem Jesu Christi & pauperum, hæreditates, annos gratiæ, aut donationes, suis Focariis & spuris factas, relictas, & relinquendas.

Cum etiam in contrarium nihil magis conveniat, ac jura strictissime id ipsum exigant, ut extrema hominis voluntas rationabilis tantum suam habeat executionem: hinc, universis Nostræ jurisdictioni subjectis, Ecclesiasticis & sæcularibus, sub interminatione divini judicii, & excommunicationis sententia, quam in contrâ facientes, sex dierum monitione præviâ, in his scriptis ferimus, ne testamenta & ultimas fidelium Ecclesiasticarum vel sæcularium personarum, quas jura à Testamentorum factio non prohibent, voluntates, maxime ad usus pios & animarum salutem se extendentes, earumque executionem impediunt, negligant, vel ultra anni spacium retardent; alioquin, anno elapso, sine ulla monitione præviâ (cujus vicem hoc præfens decretum habeat,) ipso jure ad Nos, ut Episcopum Diocesæsanum & loci Ordinarium, devolutum esse decernimus.



Sub eadem pœna, nolumus, ullum etiam sæcularem, testamentorum & causarum earum occasione, se de earundem cognitione quovis modo intromittere; sed earum, & piarum dispositionum, tam in ultimâ voluntate, quam inter vivos, cognitio ad Nos Nostrumque Officiale remittenda erit. Clericorum autem Testamentorum insinuationes & approbationes intra dies triginta à morte Clerici peti volumus, ab iis, ad quos id de jure vel consuetudine spectat, ac obtineri, sub pœna intestati.

Nostro etiam erigendo & habendo Seminario, ut Clericorum quilibet pio legatorum jure, pro modo facultatum suarum, concurrat, mandamus, sub pœna congruæ ex hereditate subtrahendæ quantitatis.

Vtque piarum dispositionum certa habeatur notitia; sub pœna suspensionis ab officio, teneatur Notarius quilibet Testamenta vel pia legata, ac pias donationes etiam inter vivos factas, intra menses tres Nobis aut Nostro Officiali denunciare. cujus decreti tenorem, lingua vulgari versum, propediem promulgabimus.

### DECRETVM III.

*De vita & honestate Clericorum, nec non damnabili Simonia vitio & usurarum.*

**D**ierum crescente malitia, Clericorum vitam & mores, cum suspiriis vidimus, currere in deteriora; siquidem alios habitu milites, alios immunditiâ communes, alios exquisita nimium deliciâ comptas sceminas offendimus. propter quod, juxta indignatione commoti, omnes & singulos serio in Domino hortamur, ut, vita inculpatione, omnibus bono exemplo præluere studeant; vestibus utantur nigris; Prælati, si voluerint, violaciis, pallio usque ad talos protenso, ac tunica ad minimum ultra genua defluente; absit forma peregrina; vanitas ac curiositas nulla notetur; materia, status qualitatem non excedat; tibialibus non nisi nigris utantur; à collaribus rugatis & acupictis abstineant; itinerariæ vestes usque ad furas sint protractæ; non vagis oculis, non effreni lingua, aut petulanti tumidoque gressu incedant, sed pudorem, & verecundiam mentis, simplici habitu incessuque, ostendant; cœtibus non misceantur, ubi amatoria & turpia cantantur, aut obscœni motus corporum, choreis & saltationibus effertur; domesticæ vero vestes ac interiores statui Clericali convenientes sint; ac corona, in illis qui breve alunt capillitium, singulis quindenis, in aliis autem, singulis duntaxat mensibus, renovetur.

A commestationibus & ebrietatibus omnes

cessent; tabernas nulli, nisi in itinere constituti, necessitatis gratia, ingrediantur. ab alearum, gladiatorum, hastarum, aliorumque lusu, de jure prohibitorum, exercitio prorsus abstineant. negotiationibus, quæstus gratia, nulli occupentur. Laicis non inferviant; arma non portent.

Omnibus & quibuscunque Clericis seridè etiam præcipimus, ut ab omni concubitu, aut quavis immunditiâ, abstineant; nec ullam posthac cum Focariis conversationem aut colloquium, quovis quæsito colore aut prætextu, habeant; sub pœna privationis beneficiorum suorum, ipso facto incurrenda, aliisque arbitrariis, Nobis, contra immorigeros & inobedientes, reservatis.

Si qui vero inantea hoc crimine sint notati, eos paterne monemus, quatenus ad Dominum, abs quo fornicati sunt, redeant, nec non, in signum manifestæ emendationis, intra novem dierum spatium post præsentium publicationem, quorum dierum tres pro primo, tres pro secundo, & tres pro tertio & peremptorio termino, iis præfigimus, suas Focarias aut Concubinas à se & earum cohabitatione prorsus removeant, ac earum frequentationem ac contubernia fugiant, nec ad se denuo, sub quavis ratione, accedere permittant. quas & Nos, extra Civitatem intra dies quatuordecim sequentes, in Civitate vero intra mensis spatium extra urbem, & unâ dietâ minùs à loco, relegamus, pœnâ Nobis arbitrariâ contra contumaces reservatâ. Nolumus etiam, qui incontinentiæ notâ notati fuerunt, quod ad officium aliquod posthac admittantur, aut tollerentur, nisi Nostro speciali consensu accedente. Concubinas etiam, nisi paruerint, castâ aut publicâ infamiâ notari & ex Diœcesi Nostra relegari faciemus.

Grandi quoque desiderio cupientes, ut hujusmodi immundi ac damnati criminis perpetua, quantum fieri potest, aboleatur memoria; volumus, ut suorum illegitimatorum abstineant præsentia, tam privatâ quàm publicâ; carnales suas filias, à se abdicantes, ac in probatorum hominum honesta servitia vel curam demandantes; de cætero, casto Domino, casto corde & mundo corpore, fideliter servientes. Et, quia propria diligenti inquisitione, Concubinariorum, Clericorum, & maxime Presbyterorum filios, contra Canonicas sanctiones, in patrum beneficiis constitutos, invenimus; districtè mandando præcipimus, ne deinceps Clericorum filii in beneficiis patrum, aut aliis quibuscunque, in Nostra Diœcesi, ministrare præsumant; alioquin ea beneficia, tanquam contra juris dispositionem occupata, ex tunc inantea vacare decernimus, & eorum collatoribus licentiam, talia idoneis conferendi, assignamus; nisi cum eis à sancta Sede Apostolica desuper dispensatum fuerit: Clericorum

rum

## DECRETVM IV.

*De Ecclesiasticis beneficiis, eorumque Collationibus, rebus Ecclesia, ac Provisoribus.*

rum filiis, & aliis illegitimè natis, beneficiis, Nostrarum civitatis & Diocesis, injungentes, ut, infra mensem à publicatione præsentium, de suis dispensationibus, tam super eo, quod in Ecclesiis patrum ministrare, succedere, & in eis beneficia obtinere valeant, quam super defectibus suis, & pro obtinendis uno vel pluribus beneficiis, à Sede prædicta obtentis, coram Nobis vel Nostro Vicario fidem faciant.

Detestabile Simoniaë crimen, quod hac in Diocesi Nostra (prò dolor) satis invaluit, quam longissime proscripi volumus. Quapropter omnes & singulos, quicumque, pecunia aut pactioe illicita interveniente, etiam si hoc, paterna cupiditate, filio in ætate minorrenni existente, à patre factum sit, beneficia Ecclesiastica vendiderunt & adierunt, tam ad restituendum accepta, quam dimittendum adepta, esse obligatos, declaramus, & hac Constitutione, sub pœna paratæ executionis, teneri; reservata Nobis ordinatione, statui dimittentium convenienti, renunciatione & dimissione prævia. Et, ne de cætero tam iniqua Nos offendant, sub pœnis, sacris Canonibus comprehensis, hoc detestabile crimen damnamus, & autores secundum eos secure castigari faciemus; irritum & inane declarantes, quicquid de cætero in Ecclesiasticis, vel data vel promissa pecunia, sub quocunque colore acceptum vel possessum fuerit. Hujusmodi Simoniacæ labe infectos, juxta juris communis præscriptum, non solum beneficiis ac officiis omnibus, verum & emolumentis, privatos, ac excommunicationis pœnæ subiectos, decernimus; à qua non nisi à summo Pontifice, vel à Nobis, absolvi poterint. Præcipimus quoque, in novellorum beneficiarum receptione, jura statutorum ac vinalium ita exigi ac dividi, ne à radice omnium malorum, cupiditate, profecta, jure merito credi valeant. Gratiitudinis etiam signa, uti essentialia non sunt, ita facultates dantium vel redditus beneficiarum ne excedant vel adæquent; ne legitima causa suspicionis Simoniaë vel cupiditatis detur.

Quod jure communi ac Provincialium Statutorum Decretis, circa enorme usurarum crimen, laudabiliter hætenus constitutum est, præsentis sanctione renovamus. Quapropter omnes & quoscunque usurarios contractus, tam Laicorum quam Clericorum, quomodolibet contingant, sive in excessu pensionum ac præstationum, sive in emptionibus censuum ac reddituum annorum, damnamus, ac improbamus; & non solum contra tam abominabili vitio deditos, quam etiam notorios ministros usurarum, pœnis à jure Canonico præscriptis, privationis scilicet, communio-nis & sepulturæ, condignæque restitutionis, arbitraria animadversione Nobis reservata, procedemus.

CVm beneficia Ecclesiastica non nisi patrimonium Christi, ac Eleemolynæ, fidelium liberalitate concessæ, merito vocari possint, ideoque ad quos, tam de jure, quam alio legitimo titulo, eorum collatio spectat, diligenti studio advigilare tenentur, ut tales iis præficiantur, qui idonei, vita ac moribus commendabiles, ac Ecclesiis non inutiles futuri sperantur; electiones, præsentationes, ac nominationes, aliqua forsitan gratitudinis specie velatæ, Simoniacam tamen pravitatem continentem, caveantur. nullæ fiant resignationes, etiam in favorem. cessiones, translationes, ac permutationes, non aliter quam jure communi constitutum est, permittantur.

Hortamur etiam ac serio commonemus Collatores, ac eos qui jus præsentandi habere quomodolibet dignoscuntur, ne ministris suis familiaribus, aut etiam consanguineis, beneficia ita conferant, ut laborum stipendia esse credantur, aut, secundum carnem & sanguinem concessa, quilibet judicare valeat.

Quoniam, pluribus in locis, fundationes Ecclesiarum, beneficiarum, & Capellaniarum, aut hæredes eorum, potestate, in qua eos Ecclesia hucusque sustinuit, abutuntur & abusi sunt, redditus beneficiarum mutilantes, supprimentes, & in proprios aut alios usus convertentes; Nos sic mutilata, aut suppressa quomodolibet, non aliter ac attentata, revocamus, annullamus, ac restitutionem plenariam Nostra Episcopali autoritate, sub pœna paratæ executionis, præcipimus; ac, ne de cætero simile quippiam fiat, sub pœnis juris stricteissime inhibemus. Monemus etiam Patronos beneficiarum, ut ea, quæ tam à sacris Canonibus quam Concilio Tridentino salubriter ordinata sunt, diligenter ac sedulo observent; ne Nos, pro muneris Nostri Episcopalis debito, quos inqualificatos judicaverimus, repellere cogamur.

Et quia, quod dolenter referimus, multarum foundationum institutiones esse vel perditas vel suppressas, earumque exemplar apud ipsos fundatores, seu eorum hæredes, sine dubio existere & conservari, justa ratione præsumimus; hinc omnes, ad edendum hinc sua jura intra mensem, obligatos esse volumus, sub pœna denegandæ investituræ donec prædictam præsumptionem coram Nostra audientia legitimis exceptionibus purgarint; reservata nihilominus Nobis, secundum sanctiones, pro rata fructuum, debita impositione onerum. In altaribus autem, cum juxta fundatorum mentem

*Sess. 25.  
cap. 9.*

tem debitum officium non persolvi animadvertamus, ac omnia eo in genere confusa esse, non sine magna divinæ majestatis offensa conspexerimus; monemus omnes, ac serio in Domino hortamur, ut foundationibus repertis per omnia satisfaciant. Eos vero, qui beneficiorum fructibus hactenus gavisi sunt, nec ullum officium præstiterunt, juxta sanctorum Canonum declarationem, ad perceptorum restitutionem decernimus obligatos; de perceptis deliberaturi, quomodo conscientis, ac piis majorum foundationibus, satisfieri valeat.

Nullus etiam de ullo beneficio investitur, aut ad aliquod admittatur, nisi coram Nobis, aut Nostro in spiritualibus Vicario generali, aut iis quibus id competit, subinsertum præstiterit juramentum.

*Ego N. juro & promitto obedientiam & reverentiam Reverendissimo & Illustrissimo Domino meo Episcopo Mindensi, & successoribus ejus Canonice intrantibus; beneficio, ad quod institui peto, secundum oneris annexi exigentiam fideliter deserviam, atque ab eo, sine ejusdem Domini Episcopi aut Vicarii ejus licentia, non discedam; nec bona & jura Ecclesie & beneficii ullatenus alienabo; & indebite alienata, quantum in me erit, fideliter recuperare studebo. Sic me Deus adjuvet, &c.*

Volumus quoque, ac serio jubemus, ut, quæ hæretica pravitate, aut alio quovis modo, ex bonis aut rebus Ecclesie, alienata, oppignorata, aut hypothecata sunt, à pietissimis vero majoribus pro suarum salute animarum donata aut fundata fuerunt, omnes & singuli, Præpositi, Decani, Abbates, Priores, Collegia, Clerici, & beneficiati Diocesis, recuperare, juxta fidelitatis juramentum, quo Ecclesie jure obstricti sunt, allaborent: Nostro consilio aut auxilio, urgente necessitate, ipsis non defuturi. Monemus insuper omnes & singulos Ecclesiarum Pastores, beneficiatos, quoscunque Clericos, beneficia Ecclesiastica quæcunque & quomodolibet nuncupata obtinentes, ut, intra spatium futuræ indictæ Synodi, omnium & singulorum bonorum & immobilium, jurium, actionum, censuum, seu reddituum, debitorum, ac aliorum quorumcunque, ad eorum Ecclesiam, vel eorum administrationi commissa Monasteria, vel beneficia, eorumque census, quocunque jure pertinentium, rationem diligentissime conquirant, & legale Inventarium, cum designatione confinium, & conditionem omnium quantum fieri potest, faciant; cujus Inventarii duo exempla legalia conficiantur, ac eorum unum in Archivio cujuscunque Ecclesie proprio asservetur, alterum ad Nos remittatur. Et, cum Canonicis contrarium sit institutis, ne bona, ad Ecclesiam spectantia, absque prævia Nostri licentia, alienentur, aut etiam ad longum tempus elocentur; præcipimus, ut in poste-

rum nullæ tales fiant, nisi causæ cognitione prævia.

In præsens autem, locationis titulo ad longum tempus vel perpetuo bona Ecclesiastica possidentes, monemus, ut intra tres menses, ad exhibendum eorum jura, coram Nobis vel Nostro Vicario compareant; quatenus in iis secundum præscriptam à sancto Concilio Tridentino formam procedamus.

Bonorum etiam Ecclesiasticorum memoria perpetua eorum, quæ vel in emphyteusin tradita, vel alio quovis nomine elocata, ut conferretur; Ecclesiasticis, cui hoc nomine Canon quotannis solvitur, eundem non nisi Notario vel testibus præsentibus recipiat, adjuncta & annotata declaratione recipientis, cujus fundi vel prati vel ædium nomine id exigat, & recognitione dantis, cujus nomine id præstet; copiâ Instrumenti ad Nos aut Nostrium Vicarium transmissâ.

## DECRETVM V.

### *De residentia Clericorum.*

**D**ecens est, Clericum apud Ecclesiam suam residere, & personale servitutis debitum ministerium Deo & Ecclesie exhibere. Quapropter districte monemus, ut, quorum foundationes personalem residentiam exigunt, ipsi personaliter resideant, sub pœna suspensionis à perceptione fructuum, & graviori, contumacia etiam crescente, arbitraria, Nobis reservata. Nullæ etiam dispensationes, quæ juri contrariæ sunt, collusiones, aut dissimulationes, de non residendo, cuiusquam suffragentur. Ubi verò legitima absentia causa fuerit, illa, per Superiores examinata, admittatur.

Prælatos, Scholasticos, Cantores, & Custodes, aliosque, curam animarum habentes, strictius obligatos, hortamur, quatenus, urgente necessitate, non nisi cum Nostri, aut Vicarii Nostri licentia, idoneo ac approbato Vicario, cum congrua mercedis assignatione constituto, ad modicum tempus absint.

Quia etiam, non absque singulari animi Nostri mœnore conspeximus, aliquos de Clero Nostro, propriæ vocationis ac professionis oblitos, amore libertatis, militiæ nomen dedisse, contra expressâ hujus Ecclesie Statuta, aliasque Canonicas sanctiones; hinc iis omnibus & singulis, in virtute sanctæ obedientiæ severe præcipiendo, mandamus, ut, intra hanc Synodum Nostriam & Festum Paschæ proximum, bello armisque se abdicent, & ad Ecclesias, quibus ascripti sunt, redeant, ibidemque se qualificent, ac muneri suo diligenter satisfaciant; aut aliàs contra eos, juxta sacro-

rum

rum Canonum præscriptum, etiam ad suorum privationem beneficiorum aliasque arbitrarias pœnas, Nobis reservatas, procedemus.

DECRETUM VII.

*De Parochis & Curatis.*

DECRETUM VI.

*De Prælati.*

**S**I decens est, quoslibet subditorum curam exercere sollicitè, & per omnia, velut lucis filios, ambulare; hoc tamen præcipuè ab iis exigitur, qui, constituti per altitudinem dignitatis ut in specula, circa commissas sibi plebes, Pastorum simul & custodum partes implere tenentur, ac coram ipsis laudabilium operum exemplo lucere. Quapropter Prælatos omnes hortamur in Domino, ut, quod vocabulo sonant, merito præstent, suæ ac fraternæ salutis memores; nunquam se ab ovium suarum cura, mercenarii more, longo tempore subducant; in vim præstiti alias juramenti, bona, jura, ac privilegia Ecclesiarum commissarum, graviter defendant; illudque cordi habeant, ut, inter suæ curæ commissos, pacis tranquillitas vigeat, fervor charitatis exæstuet, invalescat concordæ unitas, animorum identitas perseveret; in rebus difficilioribus, quæ vires superant, ad Nos recurrant; advigilent circa omnium & singulorum vitam ac mores, ut vitia extirpentur, virtutes plantentur, & officio suo quilibet satisfaciat; ut in Ecclesiis & Capitulis omnia decenter peragantur, nullæ inter sibi commissos lites ac discordiæ existant; si quæ obortæ fuerint, quanto citius terminare ac sopire studeant; graviores vero excessus, ac de quibus in publico constiterit, ad Nos referre non omittant. Nullus vero Decanorum, absque confirmatione, à Nobis petita & accepta, functionibus, muneri suo incumbentibus, se immiscere præsumat.

**C**um Pastores in partem sollicitudinis Nostræ Episcopalis vocati sint, & ab iis subditorum salus & incolumitas fere dependeat; serio in Domino monemus, ut diligentem sibi commissorum curam habeant, contumaciam apud Ecclesias suas residentiam faciant, juxta foundationes frequenter Missas celebrent; quæ ad Ecclesiæ nitorem & munditiam spectant, studiose curent, ut, se decorem domus Dei in veritate diligere, doceant; pro concione ad populum singulis Dominicis festisque diebus, per annum occurrentibus, modeste & graviter dicant; si quæ vero testimonia ex sacræ Scripturæ locis adducuntur, vulgari lingua proferantur; sacras literas, non ex suo cerebro, sed ex sanctorum Patrum doctrina & sententia, explicabunt; nullas incertas historias, fabulas, aut alia quæcunque, quæ ad ædificationem non spectant, in medium proferant; materiam autem talem sumant, quæ captui auditorum conveniat; ipsique à vitiis, præsertim blasphemis, juramenti, conviciis, detractationibus, & ebrietate, abstinere conabuntur. monebunt subditos, ut utrique Magistratui pareant, præcepta Dei, leges ac cæremonias Ecclesiæ, nec non Concilii Tridentini Decretorum tenorem, laudabiles etiam hujus Diœcesis consuetudines, studiosè observent. Magistratum Ecclesiasticum, etiam civilem, publice pro concione carpere, perstringere, aut aperte objurgare, in ullam religiosam familiam aut statum Ecclesiasticum invehi, nequaquam præsumant. Si qui verò adversus alium querelam habent, coram Nobis aut Vicario Nostro deferre non omittant.

P A R S T E R T I A.

DECRETUM I.

*De Regularium vita & disciplina.*

**S**ub Nostra Pastoralis vigilantia & cura, de benigna Dei providentia, plurima Regularium Monasteria data, recognovimus hæcenus A catholicorum iniquâ usurpatione occupata; quorum nonnulla, de ejusdem Dei omnipotentis copiosa misericordia gaudemus esse restituta.

Ac, zelo convenientis charitatis cupientes, hæcenus militum diversoria & , ne quid gravius dicamus, incontinentiæ receptacula, denovo videre scholas pietatis & virtutum ornamenta; omnes sine differentia Regulares &

Religiosos monemus, ut se ipsos, & quomodo sua vota reddant Altissimo, cauta ratione inspiciant, continentiam & castitatem colant, ejusque conservandæ media amplectentes, secularia incauta negotia, ac ipsam damnabilem proprietatem, non aliter ac pestem, fugiant.

Abstineant ab omni familiaritate disparis sexus, etiam oculorum incauta concupiscentia; sua religiosa statuta sedulo servantes.

In quem finem, ne, dum terrena considerant, eorum conversatio, impedita, non sit callis; Regularium & Religiosorum Prælati jungimus, quatenus, pro necessitate & Monasterii facultatibus, juxta vocationis & Regulæ rationem, necessaria, tam in victu, quam in potu ac vestitu, decenter ac benigne subministrent.

Ingressum

Sess. 25.  
cap. 17.

Ingressum ad religionem utriusque sexus voluntarium esse volumus, & nullo modo coactum. In cujus consensu scrutatione, etsi sacro Concilio Tridentino salubriter cautum, ut ante professionis emissionem de sacrarum Monialium consensu per Nos aut Nostrum Vicarium inquisitio fiat diligens; Nos ex superabundanti, & iustis moventibus causis, id etiam ante receptionem observandum esse putamus & mandamus; & aliter & alio modo receptionem esse invalidam, declaramus.

In suscipiendis novitiis, omnis pactio Simoniacæ sit profus ignota; nec ante professionem, nisi alimentorum dumtaxat causa, quicquam detur, ne libertas discedendi ardeatur.

Nemo ante decimum sextum ætatis annum completum & integro probatus anno, evolutus eo ad professionem admittatur: nemo, ad alicujus religionis professionem emittendam, metu doloque inducatur.

In receptione, & in professione, sobria ac moderata sint convivia. Novitiorum instructor eligatur, qui potens est seipsum & alios, in omnibus irreprehensibilem exemplo monstrare, doctrinam efficere.

Nocturna & diurna Officia, secundum statuta, regulas, constitutiones, fundationes, & laudabiles consuetudines, digna pietate & diligentia peragantur.

Culparum Capitula, ad disciplinæ conservationem instituta, diligenter frequenterque habeantur. Prælati oves erraticas & vagabundas diligenti & curiosa sollicitudine inquirant, & neque disciplina rigorosa, neque diligentia vel misericordia nimis remissa, restituant; insuper, hoc turbulento rerum statu, exules, maxime hospitalitatis memores, benigna pietate recipiant & foveant, ne, cum ignominia status & Ordinis, passim vagari cogantur.

Sess. 25.  
cap. 6.

Electioes seu postulationes ad Prælaturas, juris & S. Tridentini forma servata, ac omni profus ambitu & affectu seposito, secundum suggestionem S. Spiritus, intra debita terminentur fatalia.

Canonice electos utriusque sexus nolumus se administrationi immiscere, nisi confirmatione à Nobis obtenta; quæ intra mensem, electionis seu postulationis exhibito publico instrumento, semper, & à non habentibus, pro nunc etiam, est petenda. Cujus etiam electionis seu postulationis confirmatio, si ultra trimestre dilata fuerit; electio seu postulatio nulla erit.

In officiis & administratione positus mandamus, quatenus nullos contractus locationis quarumcunque rerum mobilium vel immobilium faciant, aut recipiant à quocunque, præter Superioris aut Conventus scitum. quicquid contra attentatum, infirmamus; & ipsos in sententiam excommunicationis, in his

scriptis factam, incurrisse, denunciamus.

Et, quia cura Regularium, Prælati demandata, curiosa circumspexione est administranda, nullatenus autem prodigali luxuria dilapidanda; sub obtestatione divini iudicii eos monemus, ut necessarias tantum impensas erogent, neque superfluo ornatu, neque equorum numero, neque in propinquos donationum excessiva magnitudine peccent; animarum curam & Sacramentorum administrationem, nisi approbatione à Nobis aut Nostro Vicario prævia, nullo modo exercent, & in iis jurisdictioni, visitationi, & correctioni, se submittant.

Vt Religiosi, nimirum nonnulli bonæ indolis, ad Universitates Catholicas, studiorum Theologiæ maxime causa, mittantur, ad exequendum hoc, fideliter Superiores hortamur in Domino.

Novissime, singula, quæ vel Canonum jure, vel Decretis S. Tridentini Concilii, etiam Provincialium, vel prævis institutis, pro monastica disciplina servanda, constituta sunt, serio omnibus commendata volumus.

## DECRETVM II.

*De Iurisdictione, & Iudicio Ecclesiastico.*

**I**N Ecclesiasticas personas, jura & bona earum, sæcularis potestas, suis non contenta finibus, multa commisit illicita; quæ & velut attentata, revocanda, Nostraque ordinaria potestate emendanda & restituenda sunt.

In quem finem restitimus Iudicium Ecclesiasticum ac aulam Nostram Episcopalem, integraliter, & meliori modo, quo de jure fieri potest & debet; revocantes omne id, quod in præjudicium istius iudicii & iurium à quavis potestate hæcenus indebite est usurpatum: in specie, nimis indebitum illum abusum, quo, in nonnullis locis, ab ipso Officialatus iudicio ad Cancellariam, contra jura, appellationes recipiuntur, & inhibitiones decernuntur. Cujus quidem Ecclesiastici iudicii iudicem volumus existere Clericum, virum bonam & timoratae conscientiæ, & legitimo thoro natum, juramento fidelitatis, Nobis & Nostro Capitulo obligatum. Causas Matrimoniorum, sponsaliorum, impedimentorum, dependentium & annexorum, sicut & omnium ad forum Ecclesiasticum quomodolibet spectantium, nullus nisi Officialis Noster cognoscat; nemo eum in cognitione impediat; sub pœnis Canonicis, & contra violatores Ecclesiasticæ libertatis, diversis Provincialium Conciliiis, promulgatis.

Et, quamquam generaliter iudicium, ubi coeptum, terminari debeat; tamen quia, in Ecclesiasticis, Laicus Iudex incompetentis est, lites omnes, ad hoc iudicium spectantes, & in decisas adhuc coram aliis pendentes, ab iisdem

avoca-

avocamus, utque in iis secundum jura procedatur, Officiali Nostro mandamus.

Cætera, quæ vel ad formam, vel judiciorum ordinem rite peragendum, spectare videbuntur, communicatione cum Capitulo Nostro desuper præviâ, congruo & opportuno tempore proponemus, & proponi faciemus.

DECRETVM III.

*De constitutione Ecclesiastici Magistratus, & Synodis bis in anno observandis.*

**F**rustra est legislatio, nisi sit debita semper ejusdem secundum leges secuta executio. Hoc jure, magistratus publicus, cum potestate sibi vel data vel concessa, ad solamen bonorum & correctionem malorum, passim est constitutus; visitationes, consilia Episcopalia, vel Synodalia annua, saluberrima & curiosa Canonum & legum sollicitudine, more majorum, introducta sunt, & observata. Vtrumque adimplere ex Pastoralis debito dum cupimus, visum est Nobis, à constitutione Magistratus, & eorum qui vocati sunt in partem sollicitudinis Episcopalis, ordiri, Vicarium in spiritualibus generalem, Officialem Nostræ Episcopalis curiæ, Sigilliferum, ac Pœnitentiarium, de paterne Nostræ vigilantia, cum potestate cujuscunque certâ & limitatâ constituere. Ad cujus executionem dum, (quod dolenter referimus,) operariorum inopiâ causante, Nos non posse debite pervenire, videmus; id, quod

faciendum fuit & fieri potuit, nulla ratione omisimus, & hoc constitutionis decreto, Nostri Officialatus judicii Commissarium Arnoldum de Lantzperg nōminamus; vigilem ei curam, & decretorum observantiam & eorum quæ de jure, quovis modo, ad suum officium spectare videbuntur, commendantes.

Post cujus nominationem, ad interiora Nos convertentes, & salutem animarum satisfacere satagentes, Pœnitentiarium, unum ex Regulâ Fratrum Minorum, nominatione, per Nos faciendâ, Nobis reservatâ, cum potestate absolvendi à casibus, Nobis reservatis, in optima juris forma constituimus, & in Cathedrali Nostra eidem sedem assignamus. De reliquo Ecclesiastico Magistratu constituendo & nominando, dabimus operam, ut primo quoque tempore habeatur firmitas & certitudo.

Finaliter & ad extremum, secundum Canonicas sanctiones & Provincialia Concilia, bis in anno ad minus Synodum celebrari volumus; unam, feria tertia post Dominicam *Lætare*; si autem Festum Annunciationis gloriose Virginis tunc incidat, feria quarta: alteram, post Dedicacionem summi Templi feria similiter tertia. in quibus, quæ ad correctionem disciplinæ vel morum videbuntur necessaria, statuemus. ad quas etiam, de cætero, omnes, sine indictione ulteriori, comparere tenebuntur.

Quoniam vero modo peragendæ sint, proxima feria tertia post *Lætare*, quæ erit Octava mensis Martii, plenius statuemus.

Acta & publicata sunt hæc in Ecclesia Nostra Cathedrali, & solemnè convocata Synodo, xv Octobris, anno à partu Virgineo MDCXXXII, Episcopatum verò Nostrorum, Mindensis tertio, Osnabrugensis septimo, Verdenensis tertio.

FRANCISCVS GVILIELMVS,  
Episcopus Mindensis.

Locus sigilli.

*Hippolytus Franciotus*, Canonicus Archidiaconalis Ecclesiæ Bonnenfis, nec non Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Episcopi Sacellanus major, Magister cæremoniarum, & constitutus Actuarius hujus sacræ Synodi, subscripsit.

## CATALOGVS

PRÆLATORVM, COLLEGIORVM,  
 VTRIVSQUE SEXVS MONASTERIORVM,  
 ET PAROCHiarVM,  
 DIOECESIS MINDENSIS.

IN CATHEDRALI MINDENSI,  
 præter Admodum Reverendos & Prænobiles Dominos, Præpositum & Decanum, sunt majores Præbendæ Canoniorum viginti duæ, minores sex.

VICARII vero & VICARIÆ in eadem Cathedrali sunt sequentes:

Vicarius Episcopi.

Sacellanus	} à latere Præpositi.
Diaconus	
Subdiaconus	
Sacellanus	} à latere Decani.
Diaconus	
Subdiaconus	
Succentor.	

SS <sup>mæ</sup> Trinitatis.	SS. Cosmæ & Damiani.
Inventionis S. Crucis.	S. Nicolai.
Exaltationis S. Crucis.	S. Timothei.
Nativitatis B. M. Virginis.	SS. Trium Regum.
Conceptionis B. M. Virginis.	S. Dionysii.
Visitationis B. M. Virginis.	S. Georgii.
Purificationis B. M. Virginis.	SS. Decem millium Martyrum.
Affumptionis B. M. Virginis.	S. Silvestri.
S. Michaëlis.	S. Hieronymi.
S. Petri.	S. Caroli Magni.
S. Iacobi.	S. Antonii.
S. Ioannis Euangelistæ.	S. Barwardi.
SS. Simonis & Iudæ.	S. Magni.
S. Andreæ.	S. Annæ prima.
S. Matthæi.	S. Annæ secunda.
S. Lucæ.	S. Mariæ Magdalenæ prima.
S. Laurentii.	S. Mariæ Magdalenæ secunda.
SS. Fabiani & Sebastiani.	S. Barbaræ.
SS. Ioannis & Pauli.	S. Elifabethæ.
	S. Gertrudis.
	S. Catharinæ.
	S. Eulaliæ.
	SS. Vndecim millium Virginum.

IN COLLEGIATA ECCLESIA S. MARTINI MINDÆ,

præter Præpositum, sunt Præbendæ undecim;

Vicariæ vero quinque;

SS <sup>mæ</sup> Trinitatis.	S. Nicolai.
S. Bartholomæi.	S. Elifabethæ.
S. Thomæ.	

IN COLLEGIATA S. IOANNIS MINDÆ,

præter Præpositum, sunt Præbendæ majores sex, mediæ duæ, minores duæ;

Vicariæ verò;

S. Crucis.	S. Antonii.
S. Thomæ.	S. Erasmi.
Divisionis Apostolorum.	Affumptionis B. M. V. & S. Andreæ.
S. Silvestri.	S. Mariæ Magdalenæ.
S. Thomæ.	S. Margaretæ.

IN COLLEGIATA S. ANDREÆ IN LVBBECKE,

præter Præpositum, sunt Præbendæ sex;

Vicariæ vero, quæ à Fundatoribus nomen fortiuntur,

Prima, Episcopi.  
 Secunda, Munnick in Penckhaufen.  
 Tertia, Tribbe.  
 Quarta, Klencke.  
 Quinta, Reinekinck.  
 Sexta, Behlen.

COLLEGIATÆ S. BONIFACII

in HAMELEN, antiquissimæ fundationis, præter Præpositum & Decanum, habet XVI Præbendas, & plurimas Vicarias.

Abba-

ABBATIÆ ET MONASTERIA VIRORVM.

*Monasteria Ordinis S. Benedicti.*

Abbatia S. Mauritii Martyris & S. Simeonis Abbatis, intra Civitatem.  
Abbatia S. Mariæ, in Rintelen.

COMMENDÆ.

Commenda in Wittershaim, Ordinis Melitenfis.

Monasterium in Lockum, Ordinis Cisterciensis.

Monasterium S. Francisci, strictioris observantiæ, in Stadthagen.

Monasterium S. Dominici, intra Civitatem.

Monasterium Vlotaw.

ABBATIÆ ET MONASTERIA SANCTIONIALIVM.

Monasterium in Quernheim, Ordinis S. Benedicti, nunc secularium Virginum. est de territorio Mindenfi, sed Episcopus Osnabrugensis, uti fundator, habet confirmationem Abbatissæ, aliæque jura in hunc locum.

Monasterium Nondorp.

Monasterium B. M. V. intra Civitatem, olim Ordinis Canonicarum Regularium S. Augustini, nunc secularium Virginum. Præbendæ ibidem sunt quindecim cum Abbatissa.

Monasterium in Leveren, nunc secularium Virginum.

Monasterium Oberkirchen.

Monasterium Tertiariarum S. Francisci, in Hamelen.

*Monasteria Virginum incerti Ordinis, aut secularium, aut suppressarum.*

Wolrade. Ey.  
Marienfec. Burlage.  
Insula prope Vllinckhusen.  
Hannover. Berg.  
Wenneffen. Visbeck.  
Berfickhusen. Mollenbeck.  
Kemende.

PAROCHIAE

*Civitatis & Diœcesis Mindensis.*

S. Petri in Cathedrali.  
S. Martini in Civitate.  
Divæ Virginis in Civitate.  
S. Simeonis in Civitate.  
S. Bonifacii Episcopi & Martyris in Hamelen.

*De Banno seu districtu vel Decanatu in Wesen.*

Ofen, Ducis Eri.  
Artzen, Ducis Eri.  
Ottenstein, Ducis Henrici.  
Poll, Ducis Henrici.

Hardeffen, } in Officiatura  
Valenbrock, } Polle.  
Vtrumque Helem, }  
Bredenvorde, }  
Hohe. }  
Bosfinckvelde, }  
Almena, } Comitat.  
Langenholfhusen, } Lippiz.

Ludenhufen. }  
Steinberg, }  
Dreckber, }  
Katharinen hagen, }  
Haddendorp, }  
Segelhorft, }  
Oldendorp, }  
Wyen, }  
Visbecke, }  
Honrohde, }  
Fuhlen, }  
Hemeringen, }  
Lachen, }  
Barckel, }  
Eckberstein, }  
Widen. }  
Netelreder, }  
Munder, }  
Vledেকেissen, }  
Hoch hamelen, }  
Semunde, }  
Bedingtorp, }  
Holthufen, }  
Hilligefulde. }  
Lafferde, }  
Bessingen, }  
Bisperode, }  
Herderode, }  
Vornberg, }  
Brachs, }  
Holle, }  
Hunsnasen, }  
Didelmessen, }  
Ruelen, }  
Goltbeck. }

Comitat. Lippiz.

Comitatus Schawenburgici.

Comitatus Schawenburgici.

Officiatura Kalenberg.

Officiatura Homborg.

Officiatura Homborg.

Tunderen, Officiaturæ in Wesen.

Barrie inferior, }  
Barrie superior, } Officiaturæ Grone.  
Haygen, }  
Vrencke. }

Bartle.  
Bareckel, prope Hamelen.

*De Banno in Appeldorn.*

Appeldorn, }  
Hulfede, } Comitatus  
Bedeber, } Schawenburgici.  
Reber, }  
Idensfen. }

Emminckhufen, } Officiaturæ Kalenberg.  
Hohenborstel. }

Grone, }  
Heyerfen, } Officiaturæ in Rodenberg.  
Luchterinckhusen, }  
Luthorft, }  
Niendorp, }  
Hochhorft. }

*De Banno in Pattenfen.*

Pattenfen, }  
Bennessen, }  
Hildeftorp, }  
Beienfeen, }  
Schulenburg, }  
Gestorp, }  
Sprinck, }  
Volckerissen, }  
Leueffen, }  
Gerden, }  
Rumenberg, }  
Spelholthufen, }  
Welckenborg, }  
Luerissen, }  
Linden, }  
Nienhagen, }  
Limber. }

Officiaturæ in Kalenberg.

Officiaturæ in Kalenberg.

S. Georgii, }  
S. Egidii, } in Hannover.  
S. Crucis. }  
Eigelinckborstelde.  
Adensfen.

*De Banno in Alden.*

Alden, }  
Schwarmessen, }  
Nienstadt, }  
Bassen, }  
Wahnigen, }  
Vollingborsteld, }  
Dorpemarck, }  
Dulshorne, }  
Bergen, }  
Winsfen. }

Luneburg-Zellenfis jurisdictionis.



Helen, }  
 Wiftendorp, }  
 Meinerding, } Iurisdictionis  
 Soltaw, } Zellen-  
 Hermborg, } fis.  
 Hussen, }  
 Walsrode. }

*De Banno in Loo.*

Loo, }  
 Bunen, } Comitatus  
 Buren, } Hoyensis.  
 Nienborg. }  
 Balge, }  
 Drackenborg, }  
 Schopen, } Wolpe.  
 Holtorp, }  
 Hemfen. }  
 Winthem, }  
 Lehde, } Officiaturæ in  
 Vrilde, } Petershagen.  
 Ovenfelte. }  
 Widenfchle, }  
 Bockholt, }  
 Borftel, } Stolte-  
 Wermessen, } naw.  
 Repholthufen, }  
 Kerckdorp. }  
 Bruchtorp, } Officiaturæ  
 Wittenfen, } in Leve-  
 Staffhorft. } naw.

*De Banno Sulingen.*

Sulingen, }  
 Schmolvorde, }  
 Twifferinge, } Comitatus  
 Hilligenloe, } Hoyensis.  
 Koldenrhode, }  
 Nienkercken. }

*De Banno in Lubbecke.*

Rahden, }  
 Wehdem, }  
 Alschwede, } Mindensis Ter-  
 Dilingen, } ritorii.  
 Holthufen, }  
 Barckhufen, }

Volmerinckhufen, } Minden-  
 Schnadthorft, } fis Ter-  
 Barckkercken. } ritorii.  
 Boringhu- } Ravenspergen-  
 fen, } fis Comita-  
 Oldendorp. } tus.

*De Banno in Rheme.*

Rheme, }  
 Eydinckhufen, }  
 Iolenbeck, } Vlotensis.  
 Voldorp, }  
 Weringtorp. }  
 Memminckhuffen, }  
 Velthem, }  
 Habenhufen, }  
 Holthufen, } Territo-  
 Haltorp, } rii Min-  
 Westereifsberg, } densis.  
 Oiftereifsberg, }  
 Apenhufen. }

*De Præpositura S. Martini.*

S. Simeonis, Mindæ.  
 Laveslohe.  
 Hille.  
 Petershagen.

*De Banno in Mandeslohe.*

Mandeslohe, }  
 Stockumb, } Officia-  
 Helstorp, } turæ in  
 Buren, } Newen-  
 Basse, } statt.  
 Dudenhufen. }  
 Reborg, }  
 Lefe, } Stolte-  
 Landtzperg, } naw.  
 Schwedernhufen. }  
 Gildten, } Lunebur-  
 Hagen, } genfis  
 Sunderborg, } Territorii.

*De Banno in Wunstorp.*

Golteren, }  
 Nigenstedde, } Officia-  
 Munfle, } turæ in

Landerinckhufen, } Kalen-  
 Kerckdorp, } berg.  
 Gerboldeffen. }

Oldenhagen, } Comitatus  
 Barcker- } Schawen-  
 ken. } burgici.

Hemmendorp, }  
 Seltze, } Territorii  
 Westewald, } Brunsvi-  
 Wegedern, } censis.  
 Horit. }

*De Banno Præpositura in Oberenkirchen.*

Danckerffen, } Minden-  
 Lutkenbremen, } fis Ter-  
 Lerbeck. } ritorii.

Peetzen, }  
 Lerenhagen, }  
 Ietenborg, } Bucke-  
 Velthem, } burgici.

Harften, }  
 Meinfen. }  
 Sulpke, } Officia-  
 Grevenalveshagen, } turæ in  
 Merbeck. } Hagen.

## AD LECTOREM.

Cum hæresis à plurimis an-  
 nis hac in Dicecesi inva-  
 luerit, Episcopus & Admini-  
 stratores infecerit, vel ab illis  
 nutrita fuerit; sicut plurima  
 alia, vel incuria vel malitia, pe-  
 rierunt documenta, ita & hinc  
 Cleri Iurisdictionique Eccle-  
 siasticæ subiectorum locorum  
 compilatio non sine magnis  
 difficultatibus, ex monumen-  
 tis antiquis, designationibus,  
 aliisque documentis authenti-  
 cis, erui debuit. Vti vero nemi-  
 ni per hoc præiudicatum volu-  
 mus, ita & si quid omiffum,  
 nullatenus concedimus. Vale.